INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXVI

A DIE XXVII. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AUGUSTI

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INEST

GUILELMI DITTENBERGERI
DE SACRIS RHODIORUM COMMENTATIO.

HALIS
FORMIS GEBAUERO-SCHWETSCHKEIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

IOANNES CONRAD

CUM SENATU

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Etsi inter omnes Graeciae veteris civitates una est Atheniensium, cuius instituta sacra profanaque satis accurate cognita habeamus, tamen ei qui nationis Graecae indolem atque ingenium accuratius cognoscere volet, ne reliquarum quidem gentium civitatumque memoria, ut est manca atque obscura, erit neglegenda. Nam sic demum discerni licebit, quid omnium Graecorum commune, quid Doriensium Ionum aliamrumve gentium proprium, denique quid cum singularum civitatum rebus coniunctum sit. Neque hoc fugit homines doctos, sed indefesso studio certatim antiquitates civitatum Graecarum illustrare conati sunt. At si quis eorum opera hanc antiquitatis doctrinae partem ad eam perfectionem perductam esse existimet, ut nihil amplius desideretur, sed in eis quae illi invenerunt acquiescendum sit, magnopere erret. Immo quod in omni litterarum genere usu venit, ut ad quaestiones aliquantisper intermissas redire easque de integro tractare utile sit atque adeo necessarium, id vel maxime ad hunc antiquitatum Graecarum locum pertinet cum aliis de causis tum propter mirificam lapidum inscriptorum qui fere quotidie inveniuntur copiam. Quare quaestionem de sacris Rhodiorum, de quibus olim copiose atque diligenter tribus libellis disputavit Mauricius Guilelmus Heffter*), nunc resumere libet, ita tamen, ut non totam materiam ex ordine retractem, sed eis quae ab illo recte exposita videntur omissis, quae ipse aut emendare aut supplere possim breviter indicem. Qua in re, ut par est, ordiar ab eius dei sacris, qui principem apud Rhodios locum tenebat cuiusque in tutela tota insula esse credebatur.

I. De cultu Solis.

Non sum hoc loco dicturus de origine illorum sacrorum, quam alii homines docti ad Dorienses Althaemene duce ex Peloponneso in insulam transgressos (cf. Heffter III, p. 5) alii ad Phoenices referunt (A. Becker de Rhodiorum primordiis; Commentationes phil. Ienenses III, p. 111 sqq.). Neque fabulas Rhodiorum de Sole eiusque filiis, quae apud Diodorum leguntur, hic repetere opus est. Sed quaenam huic cultui necessitudo intercesserit cum civitatibus insulae Rhodi, accuratius inquirere operae pretium erit. Namque id quidem inter omnes constat, post Rhodum oppidum conditum sacra Solis publica fuisse universi populi Rhodiorum. Quae res etsi testimoniis vix eget, tamen commemorari liceat, statuam iussu

*) M. W. Heffter, über die Götterdienste auf Rhodus. Erstes Heft, Zerbst 1827. Zweites Heft, Ebend. 1829. Drittes Heft, Ebend. 1833.

populi universi erectam *ἐν τῷ τεμένει τοῦ Ἁλίου* commemorari in titulo edito ab E. Loewy Archäologisch-epigraphische Mittheilungen aus Oesterreich VII (1883) p. 96 n. 2. Neque vero minus certum est, nulla fuisse post Rhodum urbem conditam apud Lindios, Ialysios, Camirenses eius dei sacra separata ac cuiusque ex his civitatibus propria. Nam quovis pignore sponderi licet, in tanta lapidum inscriptorum multitudine qui de rebus sacris harum civitatum, certe Lindiorum, testantur, memoriam eius rei utique non plane interituram fuisse. At quae tenemus monumenta epigraphica ad Solis cultum pertinentia, ea sic comparata sunt, ut ad sacra publica universi populi aut necessario referenda sint aut certe sine ulla difficultate referri possint*). Quod mirum videatur cuipiam, quia Solis cultum oppido Rhodo multo antiquiorem esse in propatulo est. Recte enim Heffterus III, p. 7 hoc vel unius Pindari testimonio satis superque probari iudicat. Quare quaeritur, quaenam tum temporis fuerit horum sacrorum condicio. Ac Beckerus quidem p. 113 primum Ialysi deum cultum esse coniecit, inde demum hanc religionem in reliquas duas urbes manasse. Sed quae eius rei argumenta affert, debilissima sunt, ita ut non tam ab harum rationum vi ad persuadendum accommodata profecta esse videatur eius sententia, sed ab opinione quadam latius patente quae eius animum occupaverat: nempe persuasisse sibi videtur, omnes fabulas caerimoniasque Rhodiorum initio aut Lindiorum aut Ialysiorum aut Camirensium proprias fuisse. Quod cum in universum neque probatum sit a Beckero neque omnino probabile, tum ex omnibus Rhodiorum deis minime in Solem cadit, quem totius insulae dominum ac tutorem antiquitus creditum esse constet. Quare coniecerit aliquis, ante Ol. 93,2 (407 a. Chr.) in singulis oppidis singula fuisse Solis templa, singulos sacerdotes, sacrificia feriasque a singulis civitatibus eodem quidem ritu sed separatim actas esse; illo demum anno haec omnia coniuncta et in novum oppidum translata esse. Sed haec opinio pugnat cum eis, quae de illius synoecismi ratione cognita habemus. Etenim non modo Lindiorum, Ialysiorum, Camirensium civitates conservatae sunt, sed quum civilia iura atque negotia ab his populis ad universum populum Rhodiorum transferrentur, sacra illorum intacta manserunt; ac si cuius dei templum atque cultus ad exemplum illarum civitatum in nova urbe instituta sunt, propterea nequaquam illic ea abolita esse, ex eis apparebit, quae altera commentatione de Minervae Poliadis et Iovis Poliei cultu docebimus. His enim deis eadem aetate et a Rhodiis universis et a Lindiis, Camirensibus, Ialysiis publice sacra facta esse titulis ex parte nondum recte intellectis probabimus. Itaque nihil relinquitur, quam ut antiquitus unum modo templum fuisse statuamus, ubi tres illi populi coniunctim deum totius insulae tutorem colerent, non aliter quam Ionum civitates duodecim Neptunum Heliconium in promunturio Mycale. Qui si Thaletis Milesii consilium (Herodot. I, 170) secuti in unam civitatem coiissent, apparet eandem Neptuni sacrorum condicionem apud eos futuram fuisse, quae Solis apud Rhodios post Olympiada nonagesimam tertiam fuit. Non igitur est, cur quicquam praeterea mutatum esse statuamus; nam ne in alium quidem locum per occasionem illius synoecismi sacra dei translata esse credibile est.

---

*) Dixerit quispiam hanc sententiam everti titulo Lindio de Sminthiorum feriis, de quo infra accuratius disputaturus sum (Ross Hellenicorum II p. 113 n. 47); nam illi decreto praemitti duorum sacerdotum eponymorum nomina, quorum prioris, quod aut ad Bacchum aut ad Minervam Lindiam spectare videtur, nihil nisi ...*στράτου* superest, alterum vero paene integrum exstat *τοῦ δὲ Ἁλίου Ῥοδο*|[*π*]*ε*[*ί*]*θευς*. At inde iure colligi, Lindi quoque sacerdotem Solis fuisse, praefracte nego. Quidni enim Lindii in decreto de rebus sacris summos sacerdotes et suae civitatis et universi populi Rhodiorum, cuius ea civitas pars erat, commemoraverint, eadem ratione atque in rebus profanis cleruchi Salaminii et suum peculiarem et totius Atheniensium civitatis communem magistratum eponymum nominant? (C. I. Att. II 469. 594.)

Pauca dicenda videntur de sacerdotio dei. Quod hereditarium non fuisse ex titulo edito apud Foucartum Revue arch. XIII (1866) p. 352 n. 16 luculentissime apparet; namque quae hic leguntur *Τίτον Φλαύιον Φανόστρατον* | *Διοκλέους τὸν ἱερῆ τοῦ Ἁλίου*, | *τὸν καὶ ἀδελφὸν ἱερέως Ἁλίου* | *καὶ υἱὸν ἱερέως Ἁλίου*, in munere hereditario inepta essent. Immo sorte constitutos sacerdotes ex inscriptione Bulletin de correspondance Hellénique IX (1885) p. 96 n. 2 (*ἐπιλαχὼν ἱερεὺς Ἁλίου*) discimus, unde simul apparet duos sorte destinatos esse, quorum alter in alterius demortui aut alia qualibet de causa sacerdotio privati locum succederet. Quod institutum cum in magistratibus civilibus notum sit, de sacerdotio quod sciam non exstat aliud testimonium. Sed hunc usum non quadrare in munus quo ad vitae tempus functi sint sacerdotes, sponte patet. Quare certum quoddam tempus definitum fuisse statuendum est, id quod comprobatur titulis dedicatoriis, qui formulam *ἱερατεύσας Ἁλίῳ* habent (Revue archéologique N. S. XII (1865) p. 223. XIII (1866) p. 351 n. 15). Atque etsi nusquam accurate traditum est, quantum muneris tempus fuerit, tamen aliorum quae cum in reliqua Graecia tum in ipsa insula Rhodo fuerunt sarerdotiorum similitudo suadet, ut annuum fuisse statuamus.

Plura gravioraque monenda sunt de feriis Solis. Ac primum quidem de nomine ipso non ab omni parte recte iudicatur; nam quum Heffterus III p. 9 vera forma plane omissa haec sacra *Ἅλεια* aut *Ἅλια* aut *Ἁλεῖα* vocata referat, Welcker Gr. Götterlehre I p. 410 *Ἅλεια* nomen quidem ab antiquiore aliquo et breviore Solis nomine, cuius vestigia in glossis Hesychianis quibusdam*) deprehendisse sibi videbatur, derivat, sed praeterea etiam *Ἡλίεια*, *Ἁλίεια* dicta esse adnotat.**) At utrumque errasse facile est intellectu, dummodo spreta librorum manuscriptorum auctoritate levissima in eiusmodi quaestionibus orthographicis fidam certamque titulorum memoriam sequamur. Qui docent unam veram esse *Ἁλίεια* formam, quae una ratione ac legibus artis grammaticae defenditur. Sic scribitur in omnibus titulis ante Romanorum imperatorum aetatem exaratis (Revue archéologique N. S. XIII (1866) p. 158 n. 10. p. 163 n. 12. 13. Ross Inscr. inedd. fasc. III p. 28 n. 177. Archaeologisch-epigraphische Mittheilungen aus Oesterreich VII (1883) p. 110 n. 2). Exstant sane duae inscriptiones in quibus *Ἁλεῖα* legatur; sed ex his altera apud Rossium Hellenicorum II p. 98 n. 23 Vespasiani aetate incisa est, alterius apud C. T. Newtonum *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 122 n. CCCXLVIII tempus etsi propter exiguum ambitum et mutilam condicionem definiri nequit, tamen id certe dici licet, neque in scriptura neque in argumento quicquam inesse quod originem eius ad tempora Augusti principatu antiquiora referre cogat. Qua re illa Welckeri sententia redarguitur; nam tum temporis *ει* diphthongum pronuntiatione non iam distingui solitam esse ab *ι* producta quum aliunde notum est tum ipso titulo Rossiano confirmatur, qui *τειμάς*, *τειμαῖς*, *νεικάσαντα* scripta habet. Iam vocales ῐῑ in unam productam coaluisse non mirum est, ut non aliter iudicandum sit de *Ἁλεῖα* quam de *ταμεῖον*, *Ὑγεῖα* aliisque id genus, quae in titulis Graecis Romanae aetatis perfrequenter leguntur.

Iam venio ad caerimonias, quibus hae feriae agi solebant. Pompam et sacrificium testatur Xenophon Ephesius V, 11, 2, de quibus etiam sine hoc testimonio non dubitaremus. Sed de genere sacrificii nihil memoriae proditum est. Nam quae Festus narrat de quadrigis equorum in mare iactis iniuria ab Hefftero huc relata esse mox apparebit. Paullo accuratiora

*) *βέλα ἥλιος καὶ αὐγὴ ὑπὸ Λακώνων. Ϝέλαν* (cod. *γέλαν*) *αὐγὴν ἡλίου. Ϝελοδυτία* (cod. *γελοδυτία*) *ἡλιοδυσία.*

**) Similiter C. F. Hermann Gottesd. Alterthümer § 67: „das jährliche Sonnenfest *Ἅλια* oder *Ἁλίεια*.“

scimus de ceitaminibus; etenim quum gymnica et musica iampridem nota fuerint, equestria in duobus titulis nuper inventis commemmorantur: Revue arch. N. S. XIII (1866) p. 185 n. 10 *νικάσαντα Ἁλίεια ἅρματι τελείῳ*. Ross. Hellenic. II p. 98 n. 23 *νεικάσαντα Ἅλεῖα ἵππῳ στ̀ ....* Certaminum gymnicorum genera recensentur in inscriptionibus pugilatus puerorum bis (Arch. epigr. Mitth. aus Oesterreich VII (1883) p. 110 n. 2. Revue archéologique N. S. XIII (1866) p. 163 n. 12) et semel quinquertium virorum (Revue arch. N. S. XIII p. 163 n. 13).

Sed haec hactenus; videamus nunc quid statuendum sit de temporis intervallo, quo sollemnia illa repetita sint. Qua in re homines docti erraverunt, quum sine haesitatione quotannis Haliea celebrata esse pronuntiarent (Heffter III p. 9 not. 33. C. F. Hermann Gottesd. Alterth. § 67 not. 2. 5). Immo ex laterculo apud Rossium Inscr. inedd. fasc. III p. 28 n. 277 apparet, quinquennalia fuisse. Neque enim de ratione ac dispositione huius indicis ulla potest esse controversia; continet is nomina sacerdotum annuorum Apollinis Erethimii, cuius de sacris postea videbimus, sed plerique anni ascripta in margine aut inter versus habent nomina feriarum memorabilium, quae eis annis actae sint. Qua in re anniversariis quidem sacris nullum esse locum res ipsa clamat. Quod si reputamus, inter duodetriginta nomina notam *Ἁλίεια* additam esse octavo, duodecimo, vigesimo, vigesimo quarto, duodetrigesimo, apparet quinto — vel ut nos loquimur quarto — quoque anno illas ferias celebrari solitas esse; nam duobus reliquis locis — quartum dico et sextum decimum — quod illa nota in Rossii exemplo desideratur, ei rei nihil tribuendum est praesertim in lapide satis male habito, sive ea plane evanuerat, sive tam obscura restabant vestigia, ut vel exercitatissimi et diligentissimi in titulis exscribendis hominis oculorum aciem fallerent.

Quod testimonium etsi solum per se sufficit ad quadriennii intervallum stabiliendum, tamen accedit alterum, cuius vis sane non ita in propatulo est. Namque Paulus Foucart Revue archéologique N. S. XIII (1866) p. 163 n. 12. 13 publici iuris fecit duos titulos dedicatorios in eadem basi scriptos hosce: *Κόμων Ἀκέστορος|νικάσας Πύθια καὶ|Ἁλίεια παῖδας πάλαν.* — *Ἀριστόλας Εὐ....|νικά[σας] Ἁλίε[ια]| Ἴσθμ[ια]|Νέμε[ια]|Λευκοφρύνει[α]|ἄνδρας πένταθλον.* Hic ordinem, quo victoriae se excipiunt, neque fortuitum esse neque temporis decursum sequi, sed dignitatem ludorum, facile intellegitur. Atqui penteterica certamina honorificentiora fuisse trietericis, trieterica anniversariis, ipsa rei natura demonstrat. Quo enim rarior erat occasio adipiscendae victoriae, eo maior reportatae gloria. Quod quoniam Haliea Pythiis quidem pentetericis subiunguntur in altero titulo, in altero vero praemittuntur Isthmiis et Nemeis, quae sunt certamina omnium trietericorum nobilissima, sequitur ea penteterica fuisse. Cave vero hanc rem cum opinione illa volgata sic conciliare coneris, ut duplicia statuas fuisse Rhodi Haliea, ut Panathenaea Athenis, altera minora sive anniversaria, altera maiora sive quinquennalia. Primum enim sic admodum mire accideret, quod nusquam in titulis comparet huius discriminis indicium, quod tamen, in victoriarum potissimum commemoratione, addi debuisse intellegitur, et re vera perfrequenter adicitur ubi magnorum Panathenaeorum mentio fit. Neque magis apud ullum scriptorem eiusmodi quicquam scriptum est; nam quem personatus Dicaearchus affert poetae comici ignoti locum (C. Müller Fr. hist. Gr. II p. 256. Meineke Fr. Com. Gr. II p. 746. V p. CXIV. 52) in eum lectio *τὰ Ἁλίεια τὰ μεγάλα* Naekii demum coniectura illata est, ingeniosa illa quidem sed neutiquam certa: nam alia non minus probabilia excogitari posse et excogitata esse locis, quos modo indicavi, inspectis intelleges. Denique, id quod omnium argumentorum gravissimum est, ad illam de duplicibus Halicis coniecturam sic demum confugere liceret, si ulla exstaret anniversariorum memoria. Quod non ita est; nam quae ratio Heffterum Hermannumque in hanc opinionem adduxit, eam nihili esse facile perspicitur. Etenim quae Festus habet s. v.

October equus (p. 181, 8 Müller) '*Rhodii, qui quotannis quadrigas Soli consecratas in mare iaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum*', ea ad Halieorum potissimum festum spectare qua tandem re aut quo argumento probatur? Stata sacrificia plura fuisse Rhodi, non solum annua, sed etiam menstrua, quae Soli fierent universi populi nomine atque impensis, per se probabile est*). Ex quibus unum, cum victimarum genere insolito tum singulari sacrificandi ratione praeter cetera memorabile, apud Festum commemoratur. At de feriis cum pompa sollemni, cum certaminibus equestribus, gymnicis, musicis coniunctis nullum unum verbum apud eum est, ut appareat hanc caerimoniam ab Halieorum sacris plane segregandam esse.

II. De cultu Bacchi.

Vix multo minore veneratione, quam Solem, Bacchum a Rhodiis cultum esse cum ex aliis vestigiis colligitur, tum ex testimonio Dionis Chrysostomi XXXI p. 570 Reiske (347, 27 Dindorf). Qui quod Apollinem et Solem et Bacchum apud Rhodios eundem deum existimari dicit, id nequaquam de sacris publicis intellegendum est, in quibus ne levissimum quidem huius deorum coniunctionis atque adeo confusionis vestigium cernitur. Immo eum privatas hominum quorundam, philosophorum doctrina imbutorum, opiniones indicare manifestum est. Sed cur Rhodiis potissimum eam tribueret nulla erat causa, nisi hos ipsos deos apud illos praecipuo honore florere compertum habebat.

Priusquam vero ad haec sacra accuratius describenda accedamus, monendum est, eam quaestionem paullo impeditiorem esse, quia hic non, ut in Solis cultu, quaecunque de publicis caerimoniis exstant testimonia, ad universum populum Rhodiorum referre licet. Constat enim, praeter communia omnium Rhodiorum sacra etiam Lindiorum civitatis propria fuisse.**) Quae ut ab illis accurate distinguantur maxime cavendum est.

1. Sacra publica universi populi Rhodiorum. Templum Bacchi (*Διονύσιον*) compluribus scriptorum veterum locis commemoratur, ex quibus inter magnificentissima totius urbis fana id fuisse apparet (Diodor. XIX, 45, 4. Strabo XIV, 2, 5 p. 652 Cas. Plinius N. H. XXXIII, 12 (55), 155. Lucian. Amor. 8). In inferiore urbis parte prope portum situm fuisse ex Diodori Lucianique locis apparet. At iniuria Heffterus III p. 34 Plinium testem advocat, ut extra urbem fuisse demonstret. Tantum enim abest ut *ipsa (urbs) Rhodus* a Plinio opponatur Dionysio, quod ille homo doctissimus sibi persuasit, ut contra haec arctissime inter se coniungantur et contraria sint cis quae paulo ante leguntur *in insula Rhodiorum*. Neque minus definitum de Dionysio intra muros urbis sito testimonium est in Diodori narratione de saeva illa inundatione, ubi perspicue exponitur Dionysium vicinaque urbis loca tum demum aquarum vi liberata esse, quum moenia collapsa fluetibus liberum in mare exitum praebuissent. Neque vero hic unus fuit intra oppidum locus consecratus, ubi deo illi universi populi nomine sacra fierent, sed praeterea Rhodii aram Bacchi habebant in ipso foro collocatam atque maxime conspicuo quidem loco; quod colligimus inde, quod ibi populi iussu lapidi incisa proponebantur quae ab omnibus cognosci debebant. Cf. Newton, *Greek Inscrip-*

---

*) Alius annui sacrificii memoriam servavit titulus apud Rossium Hellenicorum II p. 112 n. 45, ubi certe v. 2—6 perspicui sunt: *Ὑακινθίου | τετράδι ἐπὶ δέ|κα Ἁλίωι ἔριφον | λευκὸν ἢ πυρ|ρόν.* Quae sequuntur non recte exscripta videntur, nam nulla ex eis sana sententia elici potest.

**) De Ialyso et Camiro in neutram partem certum iudicium ferri licet. Nam nullum quidem de Baccho in his civitatibus culto testimonium aetatem tulit; sed quum omnino multo rariora harum civitatum monumenta epigraphica exstent, quam Lindiorum, ex illo silentio nihil colligendum est.

tions in the British Museum p. 108 n. CCCXLIII a 22 sqq.: *τοὶ πωληταὶ | ἐγδόντω στάλας ἐργάξασ|θαι τρεῖς καὶ ἀναθέ[ντω μ]ί[αμ μὲν ἐν τῷ θεάτρῳ, [τὰν δ]ὲ | ἄλλαν ἐν τῷ Ἀσ[κλα]πι|είῳ, τὰν δὲ τρίταν ἐν τᾷ ἀγο|ρᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τὸν τοῦ | Διον(ύ)σο͜υ.*

Festos Bacchi dies duos novimus, qui quidem ab universo populo celebrati sint, Dionysia et Anthesteria. Ac de Dionysiorum*) quidem sacris quae memoriae prodita sunt, summam eis similitudinem cum Atheniensium magnis Dionysiis intercessisse demonstrant. Quo in genere num id quoque habendum sit, quod Heffterus III p. 32 ex Hesychii glossa *Θυωνίδας* elicuisse sibi visus est de pompa phallica apud Rhodios celebrata, in medio relinquendum videtur. Nam Athenienses quidem non modo, cuius rei mentionem iniecit Heffter, Dionysia agrestia eiusmodi caerimonia fecisse, sed etiam ipsa magna Dionysia ea non caruisse ex titulis apparet: Namque C. I. Att. I, 31 (Syll. I. G. 12) coloni qui Bream deducuntur, *ἀπάγειν [ἐς Διονύσι]α φαλλόν* iubentur, et C. I. A. II 321 *φαλλαγωγία* commemoratur. Neque Hesychii glossam, si modo omnino ad Rhodios spectat, cur cum Heffiero ad Lindiorum potius sacra quam ad universi populi referamus, satis idonea causa est. Namque quae de Anthea Lindio (Athen. X, 445B) narrantur, ea omnino non spectant ad ulla publica sacra, sed ad ipsius privata, in quibus utrum Rhodiorum an Lindiorum publicas caerimonias imitatus sit, eo minus diiudicari potest, quia nemo unquam Lindius fuit quin simul Rhodius esset. At id ipsum, quod Hefftero extra controversiam positum videbatur, Hesychii verba ad Rhodi insulae res spectare, admodum dubium existimo. Namque glossam *Θυωνίδας ὁ Διόνυσος παρὰ Ῥοδίοις τοὺς συκίνους φάλητας* mutilam esse Heffterum non fugit; quod vero post *Ῥοδίοις* supplevit [*οὕτω ἐκάλουν οἱ Ῥόδιοι*], id etsi a probabilitate non abhorrere concedendum est, tamen ut ab omni parte certum sit multum abest. Apparet enim, duas hic glossas in unam confusas esse, quia *Θυωνίδας* in priore explicatione intellegendus est nominativus singularis numeri Doricus, in altera accusativus pluralis omnium dialectorum communis. Quare nescio an nihil praeterea mutandum, sed simpliciter haec sic adornanda sint:

Θυωνίδας· ὁ Διόνυσος παρὰ Ῥοδίοις
[Θυωνίδας·] τοὺς συκίνους φάλητας.

Iam testimonium certe de Rhodia alterius quoque glossae origine nullum exstat; atque etsi recte sine dubio Heffterus membrorum illorum ficulneorum nomen ab ipsius dei non diversum iudicat, sed ea quia dei vices gererent ipsius nomine significata esse, tamen haec ipsa appellatio nequaquam cum peculiaribus quibusdam Rhodiorum fabulis caerimoniisque coniuncta est, sed Thyones i. e. Semeles filium notat ex pervolgata apud omnes Graecos de dei natalibus narratione.

Sed ut hoc de pompa phallica incertum est, ita summa inter Rhodiorum et Atheniensium Dionysia necessitudo cernitur in certaminibus. Quae chorica fuisse atque ex parte quidem scaenica cum ex mentione theatri cum feriis Dionysiorum coniuncta apud Diodorum cognoscimus tum ex titulo Mitth. aus Oesterreich VII (1883) p. 111 n. 3: .... | *χορᾶγήσαντα τ[ρ]αγωιδοῖς | καὶ νικάσαντα | Ἀλεξάνδρεια καὶ Διονύσια | θεοῖς.* Neque minus cum Atheniensium moribus consentiunt Rhodii in praemiorum genere, quae victoribus choregis tribuebantur. Namque Aristides I p. 841 Dindf. Rhodios sic alloquitur: *ἀποβλέψατε δὲ καὶ πρὸς τοὺς τρίποδας τοὺς ἐν Διονύσου τουτουσὶ, πάντως δὲ χαίρετε αὐτους προςορῶντες· ἆρ᾽ οὖν*

*) Cur Heffterus III p. 34 *Διονυσιακά* dicat, inaudita plane nominis forma, ignoro. Certe *Διονύσια*, quod universi sermonis Graeci consuetudine flagitatur, etiam a Rhodiis usurpatum esse cum Diodori XX, 84, 3 testimonio tum titulo edito in Mitth. aus Oesterreich VII (1883) p. 111 n. 3 comprobatur.

ποῖ' ἂν οὗτοι σταθῆναι δοκοῦσι ὑμῖν τῶν χορῶν ἐν αὐτοῖς) μαχομένων*; Qui tripodes imprimis intellegendi videntur apud Strabonem XIV, 2, 5 p. 653, ubi Dionysium reliqua templa numero et magnificentia artificiorum dedicatorum superare indicatur. Porro id quoque Rhodi ut Athenis institutum fuit, ut Dionysiis in theatro publice pronuntiarentur honores et beneficia in homines Rhodios collata. Quid quod Diodorus XX, 84, 3 populum decrevisse narrat, ut civium qui per oppugnationis illius nobilissimae tempus in defendenda patria occubuissent filii, cum primum adolevissent, Dionysiis in theatro publico sumptu armis (*πανοπλίᾳ*) donarentur? Qua cum re confer quae de patriae suae institutis narrant scriptores Attici, Aeschines III, 154: *τίς γὰρ οὐκ ἂν ἀλγήσειεν ἄνθρωπος Ἕλλην καὶ παιδευθεὶς ἐλευθέρως, ἀναμνησθεὶς ἐν τῷ θεάτρῳ ἐκεῖνό γε, εἰ μηδὲν ἕτερον, ὅτι ταύτῃ ποτὲ τῇ ἡμέρᾳ* (nempe Dionysiis) *μελλόντων ὥςπερ νυνὶ τῶν τραγῳδῶν γίγνεσθαι, ὅτ' εὐνομεῖτο μᾶλλον ἡ πόλις καὶ βελτίοσι προστάταις ἐχρῆτο, προελθὼν ὁ κῆρυξ καὶ παραστησάμενος τοὺς ὀρφανούς, ὧν οἱ πατέρες ἦσαν ἐν τῷ πολέμῳ τετελευτηκότες, νεανίσκους πανοπλίᾳ κεκοσμημένους, ἐκήρυττε τὸ κάλλιστον κήρυγμα καὶ προτρεπτικώτατον πρὸς ἀρετήν, ὅτι τούςδε τοὺς νεανίσκους, ὧν οἱ πατέρες ἐτελεύτησαν ἐν τῷ πολέμῳ ἄνδρες ἀγαθοὶ γενόμενοι, μέχρι μὲν ἥβης ὁ δῆμος ἔτρεφε, νυνὶ δὲ καθοπλίσας τῇδε τῇ πανοπλίᾳ ἀφίησιν ἀγαθῇ τύχῃ τρέπεσθαι ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν, καὶ καλεῖ εἰς προεδρίαν.* Plato Menex. 248 E: *τῆς δὲ πόλεως ἴστε που καὶ αὐτοὶ τὴν ἐπιμέλειαν, ὅτι νόμους θεμένη περὶ τοὺς τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτησάντων παῖδάς τε καὶ γεννήτορας ἐπιμελεῖται.* 249 A: *τοὺς δὲ παῖδας συνεκτρέφει αὐτὴ — — — — καὶ ἐπειδὰν εἰς ἀνδρὸς τέλος ἴωσιν, ἀποπέμπει ἐπὶ τὰ σφέτερ' αὐτῶν πανοπλίᾳ κοσμήσασα.* Etiam Isocrates VIII. 82 filios civium in bello caesorum Dionysiis in orchestram productos narrat, sed armorum dono datorum mentionem non facit. Has omnes vero similitudines quae inter Rhodiorum Atheniensiumque Dionysia intercedunt non ideo commemoravi, quod reconditi aliquid subesse aut arctiorem quandam inter hos duos potissimum populos necessitudinem eis indicari existimarem. Immo una cum ludis scaenicis qui ad Atheniensium exemplum ubique per totam Graeciam instituti sunt etiam certus ordo feriarum Dionysiacarum ex Atheniensium institutis expressus per civitates Graecas propagatus est. Quo fit ut quae ex titulis recentioris aetatis cognoscimus de horum sacrorum ritu, mirum in modum vel in levissimis rebus inter se consentiant. Raro inveniuntur, quae ab illa forma volgo recepta abhorreant, veluti gymnica certamina quae aqud Teios cum Dionysiorum festo coniuncta fuisse ex titulo Coo (Syll. Inscr. Gr. 399, 21: *Διονύσεια τὰ ἐν Τέῳ παῖδας πυθικοὺς πένταθλον*) discimus. Haec ex antiquo potius illius civitatis ritu retenta, quam Romanorum demum aetate, cuius sane est ille titulus, addita putaverim.

Anthesteria Rhodorium nemo ex eis hominibus doctis, qui de hac antiquitatum Graecarum parte disputaverunt, commemoravit. Ac sane unum exstat eorum vestigium in litteris Graecis idque tenue ac subobscurum, quod tamen, si accuratius examinetur, nullam relinquat dubitationem. Legitur enim apud Hesychium haec glossa: *Ἀνθεστηριάδας· τὰς ἐχούσας ὥραν γάμου· Ῥόδιοι.* Eadem paullo plenior redit in lexico rhetorico apud Bekkerum Anecd. p. 215, 16: *Ἀνθεστηριάδας Ῥόδιοι λέγουσι τὰς ἐχούσας ὥραν γάμου, μηδέπω δὲ γεγαμημένας.* Quam appellationem nullo modo posse referri ad illud dicendi genus naturae rerum accommodatissimum et Graecis familiarissimum, quo iuventus comparatur cum flore, sponte patet; neque

---

*) Editores *αὐτοῖς* exhibent, quod sensu cassum est. Ex eis quae sequuntur apparet Aristidem hoc dicere, nisi in choris illis victoribus summa concordia perfectissimusque concentus fuisset, eos victoriam non adepturos ideoque ne tripodas quidem dedicaturos fuisse

enim descendit a vocabulo quod est *ἄνθος* aut a verbo *ἀνθεῖν*, sed ab ipso Anthesteriorum nomine. Virgines igitur indicari, quarum in illis sacris praecipuae quaedam partes fuerint, cum per se manifestum est, tum confirmatur aliis eiusdem generis nominibus; veluti Spartae *Διονυσιάδες* vocabantur virgines et quae Baccho Colonatae sacrificium offerebant una cum Leucippidibus, et quae in eiusdem dei feriis cursu inter se certabant (Pausan. III, 13, 7. Hesych. s. v. *Διονυσιάδες*. Meineke ad Theocr. p. 323). In traditionum laterculis propositis ab hieropoeis Deliorum freqnens est mentio *Δηλιάδων* (Syll. Inscr. Gr. 367, 9 sqq.). Quas cave in universum intellegas feminas Delias, etsi in vicina iusula Mycono sane singulari usu sermonis *Μυκονιάδες* vocatae videntur mulieres cives (Syll. Inscr. Gr. 373, 21). Quod quoniam corouae, quas illae Deliades dedicaverunt, identidem in traditionum tabulis *χορεῖα* vocantur. apparet mulieres vel potius virgines significari, quae choris earum feriarum quibus *Δήλια* nomen erat interfuerint. Quaenam potissimum fuerint apud Rhodios virginum adultarum partes in Anthesteriorum sacris, definiri nequit. Illud vero nomen, quod proprie eas ipsas virgines indicabat, quae re vera quibusque feriis intererant, in universalem aetatis significationem abiisse non est mirandum.*)

2. Sacra Lindiorum. De Bacchi apud Lindios sacerdotio intellegendus videtur titulus editus a L. Rossio Archäologische Aufsätze II p. 603 n. 12: [*τὸν δεῖνα ἱερατεύσαντα*] || *Σαράπιος* | *καὶ Ποτειδᾶνος Ἱππίου* | *καὶ Διονύσου* | *θεοῖς*. Qui lapis quum inventus sit in ecclesia S. Antonii quae est in inferiore oppido Lindo, veri simile certe non est, eum ad sacra populi universi Rhodiorum spectare. Ferias vero Lindiorum Dionysiacas Sminthia fuisse nunc demonstrabo. Quo negotio non potero paucis verbis defungi, quia non uno nomine reprehendenda sunt, quae de his sacris ab hominibus doctis disputantur. Ac primum quidem Heffterus III p. 42 et Hermannus G. A. § 67 not. 10 Apollini hoc festum vindicant. Quem in errorem ea potissimum re inducti videntur, quod quae de aliis civitatibus regionibusque memoriae prodita sunt, securi ad Rhodiorum quoque sacra transferebant. Sic, ut hoc potissimum utar, Hermannus inter testimonia de Rhodiorum Sminthiis ascripsit locos Menandri rhetoris (R. G. IX p. 304. 319 sqq. ed. Walz), quos ad sacra Apollinea pertinere luce clarius est: at non minus apertum est, illic non dici de Rhodiorum rebus institutisque. Immo cum pleraque pro consilio rhetoris adeo in universum dicta sint, ut ex iis nullo modo extricari possit, quaenam potissimum civitas eius menti obversata sit, unus locus certissimum argumentum continet. Nam p. 328, 3 sqq. haec leguntur: *μετὰ ταῦτα κεφάλαιον θήσεις τοιοῦτον περὶ τῆς πόλεως, ὅτι τοιγαροῦν Ἀλέξανδρος τὴν Εὐρώπην χειρωσάμενος καὶ διαβεβηκὼς ἐπὶ τὴν Ἀσίαν ἤδη, ἐπειδὴ προσέβαλε τῷ ἱερῷ καὶ τοῖς τόποις, σύμβολα μὲν ἐκίνησεν ἐπὶ τὴν κατασκευὴν τῆς πόλεως, τοῦ θεοῦ ταῦτα καταπέμποντος, καὶ κατασκευάζει τὴν εὐδαίμονα ταύτην πόλιν. καθιερώσας αὐτὴν Ἀπόλλωνι τῷ Σμινθίῳ.* Quae si contuleris cum Strabonis locis X, 3, 21 p. 473 Cas.: *ἐν τῇ Ἁμαξιτίᾳ τῆς νῦν Ἀλεξανδρέων χώρας ἐγγὺς τοῦ Σμινθίου*, et XIII 1, 47 p. 604: *ἦν δὲ τῷ Ἀχαιίῳ συνεχὴς ἥ τε Λάρισα καὶ Κολωναί, τῆς* [*Τενεδίων περ*]*αίας οὖσαι πρότερον, καὶ ἡ νῦν Χρῦσα, ἐφ' ὕψους τινὸς πετρώδους ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἱδρυμένη, καὶ ἡ Ἁμαξιτὸς ἡ τῷ Λεκτῷ ὑποκειμένη συνεχής· νῦν δ' ἡ Ἀλεξάνδρεια συνεχής ἐστι τῷ Ἀχαιίῳ· τὰ δὲ πολίσματα ἐκεῖνα συνῳκισμένα τυγχάνει — εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν* § 48: *ἐν δὲ*

*) Similiter certae puerorum aetates distinguuntur nominibus *παῖδες Ἰσθμικοί, Ὀλυμπικοί, Πυθικοί* cf. Syll. Inscr. Gr. 399. 400. Photius lex. s. *Παναθήναια*).

τῇ Χρύσῃ ταύτῃ καὶ τὸ τοῦ Σμινθέως Ἀπόλλωνός ἐστιν ἱερόν, non dubitabis quin Alexandria Troas designetur a Menandro*). Quo testimonio remoto si quis ex ipso nomine feriarum colligat non posse eas alii deo sacratas fuisse quam Apollini, ei respondendum est haud raro usu venire, ut eadem cognomina aliis locis aliis deis tribuantur, veluti, ut hoc unum afferam, *φυτάλμιος* Atheniensibus quidem, Erythraeis, Troezeniis, Rhodiis est Neptunus, aliis vero Bacchus, aliis Iuppiter. Quodsi testimonia de Rhodiorum Sminthiis examinamus, primum bis apud Athenaeum (III, 74 F. X, 445 A) laudatur *Φιλόμνηστος* — nam sic altero loco traditum, altero iampridem pro *Φιλόδημος* emendatum est — *ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ Σμινθίων*. Ac priore quidem loco, qui notam fabellam de vocis *συκοφάντης* origine continet, nihil adiuvamur; at alter cum accuratam descriptionem sacrorum illorum Bacchicorum habeat, quae Antheas Lindius paene cotidie faciebat, sane suadet, ut Bacchica potius quam Apollinea fuisse Sminthia apud Rhodios statuamus. Conficitur tota res titulo qui est apud Rossium Hellenicorum II p. 113 n. 47; is enim continet decretum Lindiorum de Sminthiis rite celebrandis (cf. v. 9—15: *δεδόχθαι Λινδίοις κυρωθέντος τοῦ|δε τοῦ ψαφίσματος τὰ μὲν ἄλλα πάντα γεί|νεσθαι περὶ τ[ῶ]ν Σμινθί[ω]ν***) κατὰ τὰ [πρότερον] ἐψαφ]ισμ(έν)α Λινδ[ίοις****)*. v. 20. 21: *στελλόντω | πο(μπ)ὰν†) ἐν τοῖς Σμινθίοις*). Iam cum plebiscitum incipiat ab ea cura commemoranda, qua ab universo Rhodiorum populo Bacchi cultus servatus atque omni sollemnitatum genere auctus sit (v. 5—8 *ἐπειδὴ πλείσ|ταν πρόνοιαν ὁ σύμπας δᾶμος ὑ[πεδέξατο]††) εἰς τὸ | τὰς τοῦ Διονύσου τειμὰς συν[τηρεῖν καλῶς καὶ] | ἀγῶνας τελεῖν καὶ πομπὰς καὶ θυσίας*), quis non videt perridicule facturos fuisse Lindios, si post eiusmodi exordium perrexissent, his de causis se Apollinis ferias summa cum magnificentia celebrandas decernere? Quodsi quis Bacchi quidem principales in illis sacris partes fuisse concedat, sed tamen praeter eum etiam Apollinis rationem habitam esse statuat, vereor ne is quoque plus quam debeat opinioni volgari largiatur. Nam quae huic sententiae favere videtur narratio in Apollonii sophistae lexico Homerico†††), in eam nescio an Apollinis nomen eo consilio illatum sit, ut Sminthia Rhodiorum Bacchica conciliarentur cum fabulis de Apolline Sminthio, cuius nomen omnibus Graecis iam ex Homeri Iliade (*Α*, 39) notum erat.

Maiore iure dubitari posse videtur, num recte inter Lindiorum sacra has ferias retu-

---

*) Eam urbem re vera non ab Alexandro, sed aliquanto post eius mortem ab Antigono conditam, nomen vero ei a Lysimacho inditum esse constat (Strabo XIII, 1, 26 p. 593 Cas.). Sed rhetorem tertii post Chr. n. saeculi id ignorasse nemo mirabitur.

) ***ΤΟΝΣΜΙΝΘΙΟΝ* Rossii apographum, qua in lectione ille acquievit. Sed neque proprium dei nomen omissum neque ipsa formula *τὰ ἄλλα γίνεσθαι περὶ τὸν Σμίνθιον* de deo usurpata placet. Quae argumenta si cui minus gravia videbuntur, ei confiteri necesse erit, tradita lectione ipsa quoque probari, nulla fuisse apud Rhodios Sminthia Apollinea. Nam sic modo *ὁ Σμίνθιος* simpliciter dici potuit, si unius dei hoc cognomen apud Rhodios erat, quem Bacchum fuisse ex initio plebisciti apparet.

) In his restituendis paullo violentius me versatum esse non diffiteor. Sed quae Rossius habet ***ΚΑΤΑΤΑΡ v. 14 extr. ***ΓΕΙΣΜΑ*** v. 15 init., ea graviter corrupta esse apparet. Ipse ea non attigit.

†) ***ΠΟΤΙΤΑΝ*** apographum Rossii, qui in exemplo minusculis litteris expresso *ποτὶ τὰν* retinuit, quibus verbis totius enuntiati structura evertitur.

††) Sic aut *ὑ[πέστη]* suppleverim, etsi fateor, his verbis non plane aptum esse obiectum *πρόνοιαν*, sed desiderari nomen quod curae potius aut negotii vim habeat. Tamen illa supplementa utique aptiora puto Rossiano *ὑ[πέσχετο]*; nam promittendi notio ab hoc sententiarum conexu aliena est.

†††) Apoll. Lex. Hom. p. 143: *ἐν Ῥόδῳ Σμίνθια ἑορτή, ὅτι τῶν μυῶν λυμαινομένων τὸν καρπὸν τῶν ἀμπελώνων, Ἀπόλλων καὶ Διόνυσος διέφθειραν τοὺς μύας.*

lerim. Nam universi populi esse coniiciat quispiam cum propter titulum libri a Philomnesti compositi *περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ* (non *ἐν Λίνδῳ*) *Σμινθίων*, tum ideo quia in Rhodiorum fastis erat mensis *Σμίνθιος*. Accedit quod feriae magnificae cum certaminibus chororum coniunctae magis civitati universae Rhodiorum quam parti eius convenire videntur. Sed hoc quidem argumentum facile refellitur titulorum testimoniis in quibus commemorantur *αἱ παναγύριες ἃς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τίθεντι Λίνδιοι*, sive ius coronam per eos dies ferendi decernitur (Revue archéologique XI (1867) p. 25 n. 68. Ross arch. Aufs. II p. 610 n. 21. *στεφαναφορίᾳ καὶ προεδρίᾳ* ibid. p. 611 n. 22), sive honores decreti ibi pronuntiari iubentur (Revue archéologique XVI (1867) p. 28 n. 69.) Illas vero difficultates, quae antea commemoratae sunt, facillime sic vitabimus, ut statuamus unumquodque ex tribus insulae oppidis sua habuisse Sminthia, quae separatim quidem, sed eodem ritu agerentur. Sic id quoque commodissime explicatur, quod in exordio decreti Lindiorum ad totius populi Rhodiorum erga Bacchum pietatem provocatur, quum tamen plebiscitum ipsum manifesto ad ferias Lindi ab Lindiis inquilinisque agendas spectet.*)

De caerimoniis Sminthiorum accuratiora fortasse scriremus, si titulus ille Rossianus integer exstaret. Ut nunc res se habet, nihil fere inde discimus nisi quaedam satis memorabilia de ordine choregiae. Sed locum tituli qui eo spectat (v. 15—22) ipsum quoque mutilum quum Rossius fere intactum reliquerit, ascribam talem qualem restituendum existimo: *αἱρείσθων | δὲ τοὶ ἐ π ι σ τ ά τ α ι* (?) | *τοὶ ἀεὶ ἐν ἀρχᾷ ἐόντες π ο τ ὶ τ ο ῖ ς ἐκ Λ ι ν δ ί ω ν αἱρουμένοις χοραγοῖς καὶ ἄλλο(υ)ς χ ο ρ α γ ο(ὺ)ς| ἐκ τῶν κατοικεύντων καὶ γεωργεύντων ἐν| Λινδίᾳ πόλει ξ έ ν ο υ ς ἕξ, εἴ κα μ(ή) τ ι ν ε ς ἐ π α ν|γ έ(λ λ)ω ν τ α ι. τοὶ δὲ αἱρεθέντες στελλόντω τὰν|| π ο(μ π)ὰ ν τὰν ἐν τοῖς Σμινθίοις ἕκαστος καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους (γ)έ(γ ρ)α(π)τ α(ι)*.

Quae litteris diductis imprimenda curavi, ea Rossius in transcriptione minusculis litteris confecta plane omisit. Supplementorum meorum rationem reddere supervacaneum iudico; sed de emendationibus, quas Rossianae lectioni adhibendas putavi, paucis dici opus est. Vs. 17 *ΑΛΛΟΙΣ ΧΟΡΑΓΟΙΣ* Ross; accusativo opus est qui pendeat ab *αἱρείσθων*, et dativus post *αἱρουμένοις χοραγοῖς καὶ* natus est errore proclivi, qui idem innumeras corruptelas in libris manuscriptis veterum scriptorum genuit. Vs. 19 pro *ΜΗ* est *ΜΜ*. Vs. 20 init. *ΓΕΝΩΝΤΑΙ*, quod Rossius retinuit (*γένωνται*), quia desperabat de initio enuntiati restituendo. In quo cum appareat praeter levem errorem in transscribenda particula *μὴ* commissum omnia recte se habere, non videtur de verbo *ἐπαν γέ(λλ)ωνται* dubitandum. Vs. 21 init. de voce *πομπὰν* cf. p. XI. Vs. 22 vereor ne emendatio mea cuipiam violentior videatur, cum ex novem litteris traditis quattuor modo intactas reliquerim. Sed hominibus artis epigraphicae peritis certe me fidem facturum spero, si *ΠΕΡΙΑΝΤΑΝ*, quod apud Rossium est, facillime errore pro *ΓΕΓΡΑΠΤΑΙ* legi potuisse dicam.

De argumento horum versuum non est quod multa verba faciam. Videmus Lindi, ut Athenis (Boeckh, Staatshaushaltung I p. 694), choregiae munus praeter cives etiam ab inquilinis susceptum esse. Quod quum iam ante huius tituli aetatem factum esse probabile sit, tamen hic demum certus ordo munerum quae peregrinis iniungenda sint constituitur. Seni quibusque feriis eliguntur, qui necessario choregorum officiis fungantur, nisi si qui sua sponte hoc onus in se receperint, quod genus liberalitatis et ambitionis Athenis quoque frequens fuisse constat et maxime inquilinorum condicioni accommodatum esse facile intellegitur. In pompa suam quisque choregus chorum duxisse videtur; accuratioribus vero praeceptis et de hac re

*) Locum consecratum cui *Σμίνθιον* nomen esset, non modo Lindi, sed etiam in urbe Rhodo fuisse Strabo XIII, 1, 48 p. 605 Cas. refert. Sed inde non licet colligi, Rhodi ferias quoque actas esse.

et de certaminibus ipsis supersederi poterat, quia ex v. 12—15 (v. supra p. XI) apparet antiquiora fuisse plebiscita de omni ordine illorum sacrorum, quibus hoc quasi quoddam supplementum accedit. Eaedem illae leges antiquiores enuntiato *καθάπερ καὶ τοὺς ἄλλους γέγραπται* respiciuntur, in quo *τοὺς ἄλλους* dici choregos ex civibus Lindiis captos vix est quod moneam.

Haec habui quae de cultu Bacchi publico cum universi populi Rhodiorum tum civitatis Lindiorum exponerem. Reliquorum deorum, inter quos principem dignitatis locum in illa insula tenebant Iuppiter, Minerva, Apollo, sacra alteri commentationi reservanda sunt.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, D.

I. Publice *historiam dogmatis traditionis, inspirationis, scripturae sacrae* docebit d. Sat. h. XII—I.

II. Privatim *1) historiam dogmatum* enarrabit sexies p. h. h. XI—XII.

2) theologiam polemicam (symbolicam) tradet quinquies p. h. h. XII—I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, D.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Iov. h. VII—VIII.

II. Privatim *1) historiam populi Israelitici* enarrabit bis p. h. die Mart. et Ven. h. VII—VIII.

2) librum Iobi interpretabitur quater p. h. h. IX—X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderabitur. Praeterea iterum eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen Semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice *Pauli ad Corinthios epistolam alteram* interpretabitur d. Sat. h. X—XI.

II. Privatim *1) Pauli priorem ad Corinthios epistolam* interpretabitur quinquies p. h. h. X—XI.

2) ethicen christianam tradet quinquies p. hebd. h. VIII—IX.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderabitur.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D.

I. Publice *artium inter Christianos primordia* exponet d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim *1) evangelium Ioannis* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.

2) theologiae practicae priorem partem tradet quaternis scholis h. IX—X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes* et *exegeticas Novi Testamenti* et *homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *1) alteram Iesaiani libri partem* (XL—LXVI) interpretabitur bis p. hebd. die Lun. et Mart. h. III—IV.

2) epistolas Ioanneas explicabit d. Sat. h. IX—X.

II. Privatim *psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX—X.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget die Iov. h. VI—VIII.

HERMANNUS HERING, D., Decanus.

I. Publice *historiam evangelii recentiore aetate per Asiam propagati* enarrabit d. Merc. h. VII—VIII.

II. Privatim *1) Pauli ad Romanos epistolam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.

2) paedagogicen docebit d. Iov. et Ven. h. VII—VIII.

III. In seminario regio theologico exercitationes et *catecheticas* et *proseminarii homiletici* et *homileticas coetus alterius* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice *Petri epistolam priorem* practice interpretabitur d. Sat. h. VIII—IX.

II. Privatim *1) theologiae dogmaticae partem priorem*, quae prolegomena systematica et apologeticen sive theoriam religionis et revelationis continet, libellum suum secutus docebit quinis p. hebd. scholis h. VIII—IX.

2) theologiam biblicam Novi Testamenti tradet senis p. h. scholis h. XII—I.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis exegeticae Novi Testamenti* moderari perget d. Ven. h. VI. vespert.

b. Professoris extraordinarii.

CAROLUS MUELLER, D.

I. Privatim *historiae ecclesiasticae partem primam* tradet senis p. hebd. scholis h. XI—XII.

II. Privatissime et gratis *exercitationes ad historiam ecclesiae pertinentes* instituet semel d. Merc. h. VI—VIII.

c. Licentiati privatim docentis.

OTTO RITSCHL, Lic.

I. Privatim *historiae ecclesiasticae partem alteram* inde a saeculo septimo usque ad mediam aetatem exeuntem tractabit sexies p. hebd. h. XI—XII.

II. Privatissime et gratis *exercitationes ad historiam dogmatum pertinentes* instituet semel p. hebd. h. def.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X—XI.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX—X.

2) doctrinam de concursu creditorum secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. Sat. h. VIII—IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici* disseret d. Sat. h. IX—X.

II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—X.

2) ius gentium d. Merc. et Sat. h. X—XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI—XII.

II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII.

2) imperii et iuris Germanici historiam enarrabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII—I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Privatissime et gratis in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis Borussici* moderabitur d. Iov. h. IV—VI.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X—XI. *2) encyclopaediam iuris* tradet d. Lun. et Merc. h. VIII—IX.

AEMILIUS BRUNNENMEISTER, Dr., Decanus.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Sat. h. XI—I.

II. Privatim *processum criminalem* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII—I.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *exercitationes processus civilis imperii Germanici* moderabitur d. Merc. h. VIII—IX.

II. Privatim *1) ius Borussicum privatum* docebit quotidie h. VII—VIII. *2) processum civilem imperii Germanici* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.

RUDOLFUS STAMMLER, Dr.

I. Publice *de iure pignoris* disseret d. Iov. h. X—XI.

II. Privatim *1) ius pandectarum* docebit d. Lun. Mart. Ven. h. X—XII., d. Merc. et Iov. h. XI—XII. *2) exercitationes pandectarum practicas* instituet d. Mart. h. V—VII.

b. Professoris ordinarii honorarii.

GUILELMUS A BRUENNECK, Dr.

Privatim *ius ecclesiasticum cum catholicorum tum protestantium* docebit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.

c. Doctoris privatim docentis.

ADOLPHUS ARNDT, Dr.

Privatim *1) ius criminale* tractabit diebus Mart. et Iov. h. IV—VI, Merc. III—IV. *2) ius administrationis cum Germanicum tum Borussicum* diebus Lun. et Merc. h. IV—VI.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr., Decanus.

I. Publice *artem formulas medicas concinnandi* tradet d. Merc. et Sat. h. IX—X.

II. Privatim *medicinam forensem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *exercitationibus clinicis ambulatoriis* praeerit d. Merc. et Sat. h. XII—I.

II. Privatim *1) scholas clinicas* habebit quotidie h. VIII—IX¼. *2) scholas policlinicas* habebit quotidie h. def.

ROBERTUS OLSHAUSEN, Dr.

I. Publice *methodum explorationis gynaecologicae et therapiam generalem gynaecologicam* tradet d. Merc. h. IV—V.

II. Privatim *1) scholas gynaecologicas clinicas* moderabitur quotidie h. IX—X. *2) operationes obstetricias* docebit phantomate in usum adhibito d. Mart. Merc. Ven. h. VIII—IX.

THEODORUS ACKERMANN, Dr.

I. Publice *de febri et inflammatione* disseret d. Sat. h. XII—I.

II. Privatim *1) pathologiam generalem una cum anatomia pathologica generali* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII. *2) exercitationes pathologico-histologicas* instituet d. Mart. Merc. Ven. h. IV—VI.

III. Privatissime peritioribus *laborandi copiam in instituto pathologico* dabit quotidie h. IX—I et h. III—VII.

HERMANNUS WELCKER, Dr.

I. Publice *situm viscerum* demonstrabit d. Merc. h. X—XII.

II. Privatim *1) anatomiae partem secundam, angiologiam et neurologiam*, docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII $^1/_2$. *2) generationem et historiam evolutionis corporis humani* docebit d. Mart. et Ven. h. III—IV. *3) osteologiam et syndesmologiam* docebit d. Iov. Sat. h. VIII—IX.

RICARDUS A VOLKMANN, Dr.

I. Publice *de orthopaedia* disseret d. Sat. h. XII—I.

II. Privatim *1) scholas clinicas chirurgicas* habebit quotidie h. XI—XII $^1/_2$. *2) operationibus chirurgicis* in cadaveribus humanis instituendis praeerit una cum Dr. Leser quotidie h. VI—VIII mat.

IULIUS BERNSTEIN, Dr.

I. Publice *physicen* in usum medicorum docebit d. Lun. h. IX—X.

II. Privatim *1) physiologiae partem processus animales continentem* docebit d. Mart. — Sat. h. IX—X. *2) exercitationes physiologicas* habebit bis p. hebd. h. IV—VI.

III. Privatissime et gratis *disquisitiones physiologicas* in laboratorio peritiorum in usum moderabitur quotidie h. VIII—I.

ALFREDUS GRAEFE, Dr.

I. Publice *de oculorum motus theoria* disseret d. Merc. h. V—VI.

II. Privatim *exercitationibus clinicis ophthalmiatricis* praeerit d. Lun. et Iov. h. VII—VIII $^3/_4$.

EDUARDUS HITZIG, Dr.

I. Publice *psychiatriam* docebit d. Merc. h. X—XI.

II. Privatim *scholas clinicas psychiatricas et neuropathologicas* habebit d. Merc. et Sat. h. II $^1/_2$—IV.

CAROLUS EBERTH, Dr.

I. Publice *de histologia et evolutione organorum sensuum* disseret additis demonstrationibus semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *1) histologiam* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X—XI. *2) exercitationes histologicas* habebit d. Mart. et Iov. h. IV—VI.

III. Privatissime *1) de microorganismis* disseret et quid valeant in corpore humano docebit additis demonstrationibus d. Merc. h. V—VII. *2) exercitationes histologicas* iis, qui iam imbuti sunt scientia histologica, accommodatas instituet h. def.

b. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS SCHWARTZE, Dr.

I. Publice *rhinoscopiam et otoscopiam* docebit d. Merc. h. X—XI.

II. Privatim *scholas clinicas otologicas* moderabitur d. Lun. et Iov. h. X—XI.

ERNESTUS KOHLSCHUETTER, Dr.

I. Publice *de therapia phthiseos pulmonalis* disseret d. Ven. h. VIII—IX.

II. Privatim *scholas clinicas internas propaedeuticas* moderabitur quotidie h. VII—VIII.

ERICUS HARNACK, Dr.

I. Publice *chemiam physiologicam* tradet d. Merc. et Sat. h. IV—V.

II. Privatim *1) disciplinam hygieinicam publicam* docebit d. Lun. Mart. Ven. h. VI—VII. *2) exercitationes chemicas ac microscopicas ad urinam explorandam* instituet d. Merc. et Iov. h. VI—VII. vesp.

III. Privatissime *peritioribus laborum* in instituto copiam dabit quotidie.

ADOLPHUS SEELIGMUELLER, Dr.

I. Publice *exercitationes electrodiagnosticas* moderabitur eorum, qui in electrotherapiae studium jam incubuerunt d. Sat. XII—I.

II. Privatim *demonstrationes clinicas neuropathologicas* habebit d. Ven. h. IV—VI.

III. Privatissime *cursum neuropathologiae et electrotherapiae* offert d. Lun. et Ven. VI—VII vesp.

RICARDUS POTT, Dr.

I. Publice *morbos cutis* docebit d. Iov. h. II—III.

II. Privatim *1) de vaccinatione* disseret d. Mart. et Ven. h. II—III. *2) demonstrationes clinicas paediatricas* moderari perget sexies p. hebd. h. X—XI.

ALFREDUS GENZMER, Dr.

I. Publice *de herniis* disseret semel p. hebd. h. VI—VII vesp.

II. Privatim *chirurgiam specialem* tractabit quater p. hebd. h. VI—VII.

BERNHARDUS KUESSNER, Dr.

I. Publice *de morbis renum* disseret d. Merc. h. VII—VIII mat.

II. Privatim *1) pathologiam et therapiam specialem* tradet d. Lun. Merc. Ven. h. XII—I. *2) artem percutiendi et auscultandi* docebit d. Mart. Iov. Sat. h. XII—I.

MAXIMILIANUS OBERST, Dr.

I. Publice *artem vulnerum obligandorum* docebit d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *scholis clinicis propaedeuticis* praeerit d. Mart. et Ven. h. VI—VIII vesp., d. Sat. h. X—XI.

AEMILIUS SCHWARZ, Dr.

I. Publice *de pelvi angusta* disseret d. Mart. h. VI—VII.

II. Privatim *gynaecologiam specialem simul cum operat. gynaecol. phantomate adhibito* tractabit d. Lun. Merc. Ven. h. VI—VII.

c. Doctorum privatim docentium.

LUDOVICUS HOLLAENDER, Dr.

I. Privatim *scholas clinicas ad dentium et oris morbos pertinentes* moderabitur quotidie h. VIII—IX.

II. Privatissime et gratis *de obturatione dentium* disseret semel p. hebd. h. def.

HUGO HESSLER, Dr.

I. Gratis *otoscopiam et rhinoscopiam* tractabit d. Lun. h. II—III.

II. Privatim *selecta otologiae capita* exercitationibus practicis adhibitis tradet d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. II—III.

PAULUS BUNGE, Dr.

I. Gratis *exercitationes refractometricas* habebit d. Merc. h. III—IV.

II. Privatim *1) scholas ophthalmiatricas propaedeuticas* habebit d. Lun. Mart. Iov. h. III—IV. *2) exercitationes ophthalmoscopicas* offert bis p. hebd. h. vesp. VII—IX.

EDMUNDUS LESER, Dr.

I. Gratis *fracturas et luxationes* tractabit semel p. hebd. h. VII—VIII vesp.

II. Privatim *1) repetitorium chirurgiae* habebit ter p. hebd. h. VII—VIII. vesp. *2) operationibus chirurgicis in cadaveribus humanis instituendis* praeerit quotidie h. VI—VIII mat. una cum Prof. Dr. a Volkmann.

CAROLUS SCHUCHARDT, Dr.

I. Gratis *de monstris ad chirurgiam pertinentibus* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *de ratione qua vulnera consanescunt et quibus rebus illud perturbetur* disseret bis p. hebd. h. def.

IV. Scholae Philosophorum.

a. Professorum ordinariorum.

AUGUSTUS ROSENBERGER, Dr.

Publice *1) trigonometriam sphaericam*, exemplis idoneis adhibitis docebit d. Mart. et Ven. h. III—IV. *2) de orbitis planetarum et cometarum ex observationibus deducendis* disseret d. Lun. et Iov. h. III—IV.

FRIDERICUS POTT, Dr.

I. Publice *elementa linguae Sinicae* docebit d. Merc. et Sat. h. XII—I.

II. Privatim *introductionem generalem [in linguarum] studium* tradet d. Mart. Merc. Sat. h. XI—XII.

EDUARDUS ERDMANN, Dr.

I. Publice *introductionem historicam in Logicam* offert binis p. h. lectionibus d. Lun. et Iov. h. IV—V.

II. Privatim *psychologiam* docebit libellum a se editum (Grundr. d. Psych. 5. Aufl. Leipz. 1873) secutus quinquies p. hebd. h. V—VI.

HERMANNUS KNOBLAUCH, Dr.

I. Publice *1) colloquia de rebus physicis* atque *seminarii exercitationes* moderari perget d. Merc. h. VI—VIII vesp. *2) demonstrationibus et exercitationibus in usu instrumentorum* horis commodis vacabit.

II. Privatim *physices secundam partem* sive *lucis et caloris doctrinam* docebit experimentisque illustrabit quaternis p. hebd. scholis h. IX—X.

IULIUS ZACHER, Dr.

I. Publice *litterarum theodiscarum monumenta selecta* ex Wackernagelii anthologicis collustrabit d. Merc. h. XII—I.

II. Privatim *Wolframi Eschenbacensis carmen cui Parzival inscriptum est* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.

III. Privatissime et gratis *in seminario germanico exercitationes* moderabitur d. Mart. h. II—IV.

HENRICUS KEIL, Dr.

I. Publice *seminarii* et *proseminarii philologici* exercitatioues moderabitur d. Lun. et Iov. h. VIII—IX.

II. Privatim *1) artem metricam Graecorum et Romanorum* docebit quaternis p. hebd. scholis h. XI—XII. *2) Horatii satiras* interpretabitur binis p. hebd. scholis h. XI—XII.

III. Privatissime et gratis *societatem philologicam* moderabitur semel p. hebd. h. II.

IULIUS KUEHN, Dr.

I. Publice *1) pathologiam plantarum* tradet semel p. hebd. d. Sat. h. IX—X. *2) exercitationes seminarii scientiae naturalis applicatae* bis p. hebd. hora commoda moderabitur.

II. Privatim *1) agriculturam specialem* adiunctis demonstrationibus practicis docebit quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X. *2) oeconomiam generalem* exponet quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio oeconomico-physiologico* instituet quinquies p. hebd. h. VIII—IV.

RICARDUS GOSCHE, Lic. theol., phil. Dr.

I. Publice *historiam artis scribendi* delineabit d. Merc. h. VII—VIII mat.

II. Privatim *1) Corani capita selecta* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. XII—I. *2) linguam Persicam* dialectis regni veteris comparatis docebit d. Mart. et Ven. h. XII—I. *3) litterarum germanicarum saeculi XII. historiam* enarrabit d. Merc. et Sat. h. XII—I.

ERNESTUS DUEMMLER, Dr.

I. Publice *in historiam medii aevi* quod vocatur introducet die Merc. h. VIII—IX.

II. Privatim *historiam rei publicae Romanorum inde ab urbe condita* enarrabit quaternis per hebdom. scholis diebus Lunae, Martis, Iovis. Veneris hora VIII—IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderabitur die Veneris hora VI—VIII.

RUDOLFUS HAYM, Dr., Decanus.

I. Publice *elementa Ethices* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. V—VI.

II. Privatim *historiam litterarum Germanicarum recentiorum a Gottschedio ad nostram usque aetatem* enarrabit quinis p. hebd. scholis h. VIII—IX.

GREGORIUS KRAUS, Dr.

I. Publice *demonstrationes in horto* h. binis instituet.

II. Privatim *elementa botanices* docebit sexies p. hebd. h. VII—VIII.

III. Privatissime *1) exercitationes phytotomicas et physiologicas 2) exercitationes pharmacognosticas 3) seminarium botanicum* moderabitur.

IOANNES CONRAD, Dr., Rector.

I. Privatim *1) oeconomiae politicae secundam partem* (Volkswirthschaftspolitik) docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI. *2) politicae partem ad incolarum numerum* (Bevölkerungspolitik), specialiter *ad curam pauperum pertinentem*, tradet d. Lun. et Iov. h. VIII—IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii oeconomico-politici et statistici* moderari perget.

GUSTAVUS DROYSEN, Dr.

I. Privatim *1) historiam aevi nostri* (inde ab a. 1815) enarrabit quaternis p. hebd. scholis h. IV—V. *2) historiam artis italicae* saec. XIII. XIV. XV. adumbrabit imagines aere incisas collectionis regiae adhibens illustrabit bis p. hebd. scholis h. def.

II. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderari perget d. Mart. h. VI—VIII.

ALFREDUS KIRCHHOFF, Dr.

I. Publice disseret *de methodo disquisitionis et instructionis geographicae* d. Lun. h. VI—VII p. m.

II. Privatim *1) geographiam generalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII—VIII. a. m. *2) Germaniam septentrionalem* describet d. Merc. h. VII—VIII a. m.

III. Privatissime et gratis *1) exercitationes seminarii geographici* moderari perget d. Ven. h. V—VI. *2) geographiam propagationis fidei christianae* tradet d. Ven. h. VI—VII p. m.

HERMANNUS GRENACHER, Dr.

I. Publice *capita selecta embryologiae animalium* tractare perget hor. def.

II. Privatim *morphologiam et systema animalium vertebratorum* enarrabit quinquies p. hebd. h. VI—VII p. m.

CAROLUS STUMPF, Dr.

I. Publice *psychophysicam* seu recentiorem de animae et corporis inter se relationibus doctrinam tradet d. Mercur. h. IV—V.

II. Privatim *logicam et encyclopaediam philosophiae* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV—V.

III. Privatissime et gratis *exercitationes philosophicas* moderabitur d. Lun. h. XII—I.

EDUARDUS HILLER, Dr.

I. Publice 1) in seminario philologico *scribendi disputandique exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VIII—IX. 2) in proseminario philologico *Euripidis Hippolytum* tractabit d. Sat. h. VIII—IX.

II. Privatim *1) historiam poesis Graecae* inde a bellorum Persicorum tempore usque ad initium aetatis Alexandrinae enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X. *2) poetarum lyricorum graecorum* carmina selecta interpretabitur d. Merc. et Sat. h. IX—X.

GUILELMUS DITTENBERGER, Dr.

I. Publice 1) seminarii regii philologici sodalibus *Herodoti historiarum partes selectas* interpretandas proponet die Mercurii h. X—XI. 2) in proseminario philologico *scribendi et disputandi exercitationes* moderabitur die Saturni h. X—XI.

II. Privatim *de Platonis vita scriptisque* disseret eiusque *Symposium* interpretabitur diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI.

HERMANNUS SUCHIER, Dr.

I. Publice adiutore Doctore Wardenburg *seminarii Romanici exercitationes* moderabitur ter p. hebd.

II. Privatim *grammaticam historicam linguae Francogallicae* docebit diebus Mercurii Iovis Veneris Saturni h. VIII—IX.

CAROLUS A FRITSCH, Dr.

I. Publice *1) Germaniae centralis geognosiam* docebit d. Merc. h. VI—VII p. m. *2) excursiones geognosticas* instituet coniunctas exercitationibus seminarii mineralogici horis et diebus indicandis.

II. Privatim *geologiam* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X—XI.

III. Privatissime *exercitationes min., geol. et palaeontol.* moderari perget quinquies per hebd. h. IX—I.

CAROLUS ELZE, Dr.

I. Publice *seminarii Anglici exercitationes* moderabitur d. Merc. et Sat. h. X—XI.

II. Privatim *historiam litterarum Anglicarum inde a restauratione regiae potestatis usque ad finem saec. XVIII* enarrabit quaternis p. hebd. scholis h. X—XI.

RICARDUS PISCHEL, Dr.

I. Publice *exercitationes Sanscriticas* instituet bis per hebd. horis def.

II. Privatim *grammaticam comparativam linguae Latinae* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.

III. Privatissime et gratis *Kâlidâsae Meghadûtam* interpretabitur bis per hebd. hor. def.

IACOBUS VOLHARD, Dr.

I. Publice *analysin volumetricam* tractabit d. Lun. h. V—VI.

II. Privatim *chemiam organicam, chemiae experimentalis partem alteram*, docebit sexies p. hebd. h. VIII—IX.

III. Privatissime *exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur una cum Prof. Doebner d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—XII et II—V.

GEORGIUS CANTOR, Dr.

I. Publice *capita selecta mechanicae analyticae* tradet d. Merc. h. XI—XII.

II. Privatim *theoriam functionum analyticarum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII.

III. Privatissime et gratis *colloquia mathematica et philosophica* cum exercitationibus habebit d. Merc. h. III—V.

HENRICUS HEYDEMANN, Dr.

I. Publice *geographiam Atticae* docebit d. Sat. h. VII—VIII.

II. Privatim *1) heroum graecorum monumenta selecta* interpretabitur d. Lun. Merc. Iov. h. VII—VIII. *2) monumenta musei archaeologici* explicabit d. Mart. et Ven. h. VII—VIII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes archaeologicas* moderari perget d. Ven. h. p. m. VI—VIII.

ALBERTUS WANGERIN, Dr.

I. Publice *problemata quaedam functionum ellipticarum ope solvenda* exponet d. Lun. h. X—XI.

II. Privatim *1) calculi integralis partem secundam* (theoriam integralium definitorum) tradet d. Mart. Iov. Ven. h. X—XI. *2) de aequationibus differentialibus, praesertim iis, quae lineares partiales vocantur, earumque usu in physice mathematica* disseret d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes mathematicas* moderari perget hor. def.

ERNESTUS DORN, Dr.

I. Publice *theoriam electricitatis staticae* exponet d. Merc. et Sat. h. X—XI.

II. Privatim *de electrodynamica* disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.

III. Privatissime *exercitationes physicas* instituet d. Mart. et Ven. h. III—VI.

b. Professorum extraordinariorum.

HUGO EISENHART, Dr.

I. Publice *historiam oeconomiae nationalis* enarrabit d. Lun. et Mart. h. IV—V.

II. Privatim *doctrinam ad reditus publicos pertinentem* tradet d. Mart. Iov. Ven. h. IV—V.

GUSTAVUS HERTZBERG, Dr.

I. Publice *topographicas rationes Athenarum* tractabit d. Mart. et Ven. h. IX—X.

II. Privatim *historiam imperii* enarrabit *Byzantinorum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. V—VI.

ERNESTUS TASCHENBERG, Dr.

I. Publice *de insectis hymenopteris* disseret d. Lun. h. XII—I.

II. Privatim *entomologiam oeconomicam* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. III—IV.

III. Privatissime *exercitationes entomologicas* instituet d. Merc. h. XI—I.

CAROLUS FREYTAG, Dr.

I. Publice *excursiones oeconomicas et demonstrationes practicas* instituet die Sat. h. III—IV.

II. Privatim *1) pecuariam rem specialem* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. III—IV, d. Merc. et Sat. h. X—XI, d. Iov. XII—I. *2) doctrinam de rerum rusticarum calculatione* tradet die Mercurii h. III—V.

MAXIMILIANUS MAERCKER, Dr.

I. Publice *chemiae agriculturae capita selecta* docebit d. Merc. VI—VII.

II. Privatim *chemiae agriculturae alteram partem* tractabit d. Merc. et Sat. h. XI—I.

HENRICUS THORBECKE, Dr.

I. Publice *exercitationes grammaticae hebraicae vel arabicae* instituet binis horis def.

II. Privatim *1) grammaticam linguae hebraicae cum linguis cognatis comparatae* docebit d. Lun. et Iov. h. XII—I. *2) grammaticam arabicam* profitebitur d. Mart. et Ven. h. XII—I. *3) Haririi consessus* interpretabitur d. Merc. et. Sat. h. XII—I.

ALBERTUS WUEST, Dr.

I. Publice *colloquia de rebus technicis et excursiones* instituet h. def.

II. Privatim *1) de machinis et instrumentis rei rusticae causa comparatis* disseret d. Mart. Ven. h. VII—VIII. *2) geometriam practicam cum exercitationibus metiendi planandique agros* docebit d. Lun. h. V—VI et d. Merc. h. III—VI. *3) artem vias construendi* docebit die Merc. h. VII—VIII.

ALBERTUS EWALD, Dr.

I. Privatim *1) regni Borussici historiam inde a Magno Electore imperium ineunte* tradet d. Mart. Iov. Ven. h. IX—X. *2) Germanorum historiam inde a conventu Olmucensi usque ad renuntiationem Versaliensem [1850—1871]* enarrabit d. Merc. et Sat. h. IX—X. *3) disciplinae saltuariae priorem partem excursionibus* adhibitis tractabit d. Mart. et Ven. h. XII—I.

II. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderari perget d. Iov. h. VI—VIII.

HERMANNUS PUETZ, Dr.

I. Publice *exercitationes histologicas* habebit d. Lun. h. III—IV.

II. Privatim *1) chirurgiam veterinariam* una cum demonstrationibus clinicis et respiciens equi speciem tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX. *2) de propagatione animalium domesticorum* disseret, respiciens auxilia ante, inter et post partum ferenda atque morbos animalium neonatorum d. Merc. et Sat. h. VIII—IX.

GUILELMUS SCHUM, Dr.

I. Publice *de architecturae medii aevi monumentis celeberrimis* disseret d. Sat. h. VIII—IX.

II. Privatim *1) historiam medii aevi* inde ab interregno tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X. *2) latinam et germanicam medii aevi palaeographiam* docebit legendisque eius aetatis codicibus auditores exercebit d. Lun. Iov. Ven. h. III—IV.

III. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderari perget d. Lun. h. VI—VIII.

GUILELMUS KIRCHNER, Dr.

I. Publice *demonstrationes in agro experimentorum* moderabitur d. Lun. h. V—VI.

II. Privatim *de soli cognitione in usum agriculturae cum exercitationibus* disseret d. Mart. Iov. Ven. h. V—VI.

III. Privatissime *exercitationes in lacte tractando* instituet d. Sat. h. VII—IX.

HUGO GERING, Dr.

I. Publice *historiam litterarum Anglosaxonicarum* enarrabit d. Merc. h. VIII—IX.

II. Privatim *grammaticam Anglosaxonicam* docebit Eduardi Sieversii libello duce usus d. Mart. Merc. Iov. h. VII—VIII.

III. Privatissime et gratis *societatis theodiscae* sodalibus Hartmanni ab Ouwe Gregorium interpretandum proponet d. Merc. h. III$^1/_2$—IV$^1/_2$.

IOANNES VAIHINGER, Dr.

I. Publice *introductionem in philosophiam* dabit d. Lun. V—VI.

II. Privatim *historiam philosophiae universam* quinis d. hebd. scholis enarrabit h. IV—V.

OTTO LUEDECKE, Dr.

I. Publice *exercitationes in laboratorio mineralogico* (Löthrohrpracticum) moderari perget d. Merc. h. XI—I.

II. Privatim *1) mineralia principalia* tractabit d. Lun. Iov. h. VII—VIII a. m. *2) exercitationes mineralogicas* moderari perget d. Sat. X—XII. *3) de disquisitionibus petrographicis* disseret d. Lun. Mart. h. hor. def.

III. Privatissime *exercitationibus petrographicis* praeerit d. Merc. Iov. hor. def.

OSCARUS DOEBNER, Dr.

I. Publice *capita selecta chemiae organicae* tractabit d. Lun. h. XI—XII.

II. Privatim *chemiae pharmaceuticae partem inorganicam* docebit d. Mart. Merc. Iov. h. XI—XII.

III. Privatissime *exercitationes practicas* in laboratorio chemico una cum Prof. Volhard moderabitur quinquies per hebd. h. IX—XII et II—V.

ROBERTUS FRIEDBERG, Dr.

I. Publice *repetitorium oeconomiae politicae* habebit d. Mart. h. XII—I.

II. Privatim *de reditibus publicis* (Finanzwissenschaft) disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII.

c. Doctorum privatim docentium.

SEBASTIANUS CORNELIUS, Dr.

I. Gratis *meteorologiam et climatologiam* docebit d. Merc. h. X—XI.

II. Privatim *capita selecta mechanices et machinarum doctrinae* exponet d. Lun. et Iov. h. IX—X.

DAVID BRAUNS, Dr.

I. Gratis *palaeanthropologiam* breviter tradet d. Sat. h. XI—XII.

II. Privatim *1) palaeontologiam* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX. *2) pedologiam* imprimis agriculturae studiosis exponet d. Lun. Iov. h. IV—V et hasce lectiones cum excursionibus conjunget.

OTTO TASCHENBERG, Dr.

I. Publice *animalium distributionem geographicam* tradet d. Merc. h. XI—XII.

II. Privatim *1) zoologiam systematicam avium* docebit d. Lun. et Iov. h. XI—XII. *2) de animalibus parasiticis*, imprimisque de iis, quae in homine atque in animalibus domesticis inveniuntur, disseret d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

EDUARDUS WILTHEISS, Dr.

I. Privatim *geometriam analyticam* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.

II. Gratis et privatissime *exercitationes ad geometriam analyticam pertinentes* moderabitur semel vel bis p. hebd. h. def.

GEORGIUS BAUMERT, Dr.

I. Privatim *1) in chemiae studium experimentis additis auditores introducet* binis per hebd. scholis hor. def. *2) de nutrimentis disquirendis* disseret bis per hebd. hor. def.

II. Privatissime *repetitorium chemicum et anorganicum et organicum* offert bis per hebd. hor. def.

CAROLUS WENCK, Dr.

I. Privatim *1) historiam constitutionis ecclesiasticae* rationisque quae intercedit inter rempublicam et sacerdotium tradet d. Merc. et Sat. h. VII—VIII. *2) de fontibus, qui historiam occidentalem*, imprimis Germanorum res gestas, tribus ultimis medii aevi saeculis *illustrant*, disseret d. Mart. et Ven. h. VII—VIII.

II. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderabitur semel p. hebd. h. VI—VIII.

GUILELMUS ZOPF, Dr.

I. Privatim *cryptogamas cellulares* demonstrationibus microscopicis coniunctis docebit d. Lun. et Iov. hor. VIII—IX.

II. Privatim *exercitationes plantarum determinandarum* moderabitur bis per hebd. hor. def.

III. Privatissime et gratis *excursiones botanicas cum exercitationibus* illis coniunctas hor. def. instituet.

KONRADUS BURDACH, Dr.

I. Privatim *de vita et arte Waltheri de Vogelweide* disseret *eiusque poemata selecta* illustrabit d. Lun. et Merc. h. V—VI.

II. Privatissime et gratis in societate Germanica *Goethii carmina quaedam praecipua* interpretanda proponet d. Merc. h. VI—VII.

KAROLUS UPHUES, Dr.

I. Gratis cum commilitonibus *auctores paedagogicos* legere perget d. Mart. h. V—VI.

II. Privatim *1) paedagogicam* docebit d. Iov. et Ven. h. V—VI. *2) historiam philosophiae religionis* enarrabit d. Lun. et Merc. h. V—VI.

HUGO ERDMANN, Dr.

Privatim *corporum quae nominantur aromaticorum chemiam* docebit d. Mart. Iov. h. V—VI.

HERMANNUS WIENER, Dr.

I. Privatim *geometriam descriptivam* tractabit d. Mart. Merc. h. VII—VIII d. Sat. VIII—X.

II. Gratis *exercitationes ad geometriam descriptivam pertinentes* instituet d. Mart. h. III—V.

III. Privatissime et gratis *exercitationes in curvis delineandis et modellis mathematicis formandis* moderabitur binis scholis h. def.

HERMANNUS COLLITZ, Dr.

Privatissime et gratis *inscriptiones Graecas dialecti specie insignes* interpretandas proponet semel per hebdom. hor. VI—VIII.

RICARDUS ASSMANN, Dr.

I. Gratis *capita selecta meteorologiae* exponet hora adhuc definienda.

II. Privatim *1) climatologiam specialem Europae et Asiae* docebit d. Lun. et Iov. h. XII—I. *2) elementa meteorologiae*, praesertim agrariae tractabit d. Mart. et Ven. h. XII—I. *3) de instrumentorum meteorologicorum constructione et usu una cum exercitationibus in statione meteorologica* instituti agronomici disseret d. Merc. h. IX—X.

V. Scholae lectorum publicorum.

ROBERTUS FRANZ, Dr., Director musices.

I. Publice *harmonicen modorumque doctrinam* semel p. hebd. tradet.

II. Privatim *cursum practicum artis symphoniacae* semel p. hebd. instituendum offert.

OTTO REUBKE, artis musicae lector academicus.

I. Publice *historiam artis musicae* delineabit d. Merc. h. IV—V.

II. Privatim *theoriam artis compositionisque musicae* docebit bis p. hebd. h. def.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis academicae cantandi causa institutae* diriget h. def.

CAROLUS AUE, Dr., linguae Anglicae magister academicus.

I. Privatim Shakespearii drama cui inscriptum est *King Richard the Third* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. XI—XII. *2) Hauffii Lichtenstein* narrationem in Anglicum sermonem vertendam proponet d. Mart. et Ven. h. IX—X.

II. Privatissime et gratis *exercitationes in seminario Anglico* instituet d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

BERNHARDUS WARDENBURG, Dr., linguae Francogallicae lector academicus.

I. Publice *syntaxin pronominum Francogallicorum* exponet d. Martis h. VIII—IX.

II. Privatim *Schilleri comoediam* quae inscribitur *„Der Neffe als Onkel“* in sermonem Francogallicum vertendam proponet d. Merc. et Sat. h. XI—XII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes in seminario Romanico* moderari perget d. Mart. et Ven. h. IX—X.

FRIDERICUS HEYER, Dr., horti culturae lector academicus.

I. Privatim *1) horticulturam rusticam et culturam seminum* docebit d. Mart. et Ven. h. IV—V. *2) repetitorium oeconomicum* habebit d. Lun. et Ven. h. VII—VIII et Merc. h. V—VI.

II. Privatissime et gratis *demonstrationes oeconomicas et hortenses* moderabitur semel p. hebd. h. def.

REINHOLDUS KNOCH, artis aedificandi lector academicus.

Privatim *de aedificiis rei rusticae causa construendis* disseret d. Mart. et Ven. h. III—IV.

VI. Artium exercitia.

I. *Artem rudibus batuendi* profitetur Loebeling.

II. *Saltandi artem* monstrabit Rocco.

III. *Artem delineandi atque pingendi, artem delineandi praeparata microscopica* ad usum eorum qui studiis medicinae vel rerum naturalium incumbunt accommodatam h. def. privatim docebit H. Schenck.

IV. *Artem equitandi* docebit Schreiber.

VII. PUBLICA DOCENDI DISCENDIQUE SUBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus universitatis patebit d. Merc. et Sat. h. IX—XII et II—IV itemque d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—I. — *Bibliotheca usui studiosorum litterarum destinata* d. Mart. h. IX—X et d. Ven. h. II—III. — *Bibliotheca Hungarica* d. Merc. h. II—III. — *Bibliotheca iuridica* d. Mart. et Ven. h. II—IV. *Bibliotheca academiae Leopoldinae Carolinae* d. Lun. et Iov. h. III—VI patebit.

II. *Apparatus palaeographo-diplomaticus*, cujus inspiciendi copiam faciet Schum d. Satur. h. XI—XII.

III. *Museum monumentorum artis antiquae* d. Merc. et Sat. h. XI—XII inspiciendi copiam faciet Heydemann.

IV. *Collectio imaginum aere incisarum.* Huic praeest Droysen.

V. *Specula astronomica* patebit praefecto Rosenberger.

VI. *Museum physicum.* Huic praeest Knoblauch.

VII. *Ergasterium physicum.* Huic praeest Dorn.

VIII. *Ergasterium chemicum.* Huic praeest Volhard.

IX. *Hortus botanicus* et *herbarium academicum.* His praeest Kraus.

X. *Museum mineralogicum* iis qui studiis mineralogicis iam operam dederunt d. Mart. h. II—IV aperiendum curabit a Fritsch.

XI. *Museum zoologicum* d. Merc. h. I—III aperiendum curabit Grenacher.

XII. *Theatrum anatomicum* et *musea* tam *anatomicum* quam *zootomicum*, quibus accedunt *Meckelii collectiones anatomicae.* His praesunt Welcker et Eberth.

XIII. *Nosocomia clinica* 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium, 4) ophthalmologicum, 5) otologicum. His praesunt Weber, a Volkmann, Olshausen, Graefe, Schwartze.

XIV. *Institutum pathologicum.* Huic praeest Ackermann.

XV. *Apparatus pharmacologici* inspiciendi copiam faciet d. Mart. h. IV—VI Harnack.

XVI. *Museum technologicum.* Huic praeest Knoblauch.

XVII. *Apparatus oeconomicus.* Huic praeest Kuehn.

XVIII. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatus et monumenta antiqua inspiciendi copiam faciet Duemmler.

VIII. SEMINARIA.

I. *Theologicum.* Exercitationibus exegeticis V. T. praeest Schlottmann, exegeticis N. T. Beyschlag, historicis Iacobi, systematicis Koestlin, homileticis Hering, catecheticis Beyschlag, proseminario homiletico Hering.

II. *Iuridicum.* Hoc Meier, Lastig, Brunnenmeister, moderabuntur.

III. *Philologicum.* Huic praesunt Keil, Hiller, Dittenberger.

IV. *Romanicum.* Huic praeest Suchier.

V. *Anglicum.* Huic praeest Elze.

VI. *Historicum.* Huic praesunt Duemmler et Droysen.

VII. *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum.* Huic praesunt Rosenberger, Knoblauch, Volhard, Grenacher, Kuehn, Kraus, a Fritsch, Cantor, Wangerin.

VIII. *Physiologicum.* Huic praeest Bernstein.

IX. *Pharmaceuticum.*

X. *Oeconomicum.* Huic praeest Kuehn.

XI. *Oeconomico-politicum.* Huic praeest Conrad.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI-VII.	. . . .	. . . .	a Volkmann et Leser operat. chirurg. [6].	. . . .
VII-VIII.	Schlottmann hist. pop. Israel. [2]. Idem geogr. Paläst. [1]. Hering paedag. [2]. Idem hist. evang. p. Asiam propag. [1].	Schollmeyer ius Bor. priv. [6].	Kohlschütter exerc. propaed. [6]. Kuessner morb. ren. [1].	Gosche hist. art. scrib. [1]. Kraus elem. botan. [6]. Kirchhoff geogr. gener. [4]. Idem German. septentr. [1]. Heydemann geogr. Attic. [1]. Idem heroum Graec. mon. sel. [3]. Idem monum. mus. arch. [2]. Wüst scient. mach. et instrum. rei rust. caus. comp. [2]. Gering grammat. Anglosax. [3]. Luedecke min. princ. [2]. Wenck histor. constitut. eccles. [2]. Idem font. hist. occid. [2]. Wiener geom. descr. [2].
VII-IX.	. . . .	. . . .	Graefe schol. clinic. ophthalm. [2].	Kirchner exerc. in lacte tract. [1]. Heyer repet. oecon. [2].
VIII-IX.	Koestlin ethic. [5]. Kaehler theol. dogm. I. [5]. Idem Petri ep. I. [1].	Fitting concurs. cred. [2]. Lastig encyclopaediam iuris [2]. Schollmeyer proc. civ. [4]. Idem exerc. proc. civ. [1]. a Brünneck ius eccles. [4].	Olshausen operat. obstetr. [3]. Kohlschütter ther. phthis. [1]. Welcker osteol. et syndesm. Hollaender schol. clinic. odontiatr. [6].	Keil sem. philol. [1]. Idem prosem. philol. [1]. Dümmler in hist. med. aev. introd. [1]. Idem hist. reipubl. Rom. [4]. Haym hist. litter. Germ. rec. [5]. Conrad de cur. pauper. [2]. Hiller sem. et prosem. philol. [2]. Suchier grammat. hist. ling. Francog. [4]. Pischel gramm. ling. Lat. [4]. Volhard chem. organ. [6]. Dorn electrodyn. [4]. Pütz chir. veter. [4]. Idem de propag. anim. domest. [2]. Schum de architect. med. aevi mon. [1]. Gering hist. litt. Anglosax. [1]. Brauns palaeont. [4]. Zopf cryptog. cell. [2]. Wardenburg synt. pron. Francogall. [1].
VIII-IX½	. . . .	. . . .	Weber schol. clin. [6].	. . . .
VIII-X.	. . . .	. . . .	. . . .	Wiener geom. descript. [1].
VIII-IV.	. . . .	. . . .	. . . .	Kühn labor. oec. phys. [5].
IX-X.	Schlottmann libr. Jobi [4]. Beyschlag theol. pract. I. [4]. Riehm psalm. [5]. Idem ep. Joan. [1].	Fitting institut. [6]. Meier ius publ. [5]. Idem const. imp. [1].	Krahmer art. form. med. conc. [2]. Idem med. forens. [4]. Olshausen schol. clinic. gynaecol. [6]. Bernstein phys. med. [1]. Idem physiol. proc. anim. [5].	Knoblauch phys. p. II. [4]. Kühn pathol. plant. [1]. Idem agric. spec. [4]. Hiller hist. poes. Graec. [4]. Idem poet. lyric. carm. [2]. Wangerin de aequat. differ. [5]. Hertzberg topogr. Athen. [2]. Ewald Boruss. hist. [3]. Idem German. hist. 1850—71 [2]. Schum hist. medii aevi [4]. Cornelius cap. sel. mechan. et machin. doctr. [2]. Assmann instrum. meteor. [1]. Aue Hauffii Lichtenstein [2]. Wardenburg sem. Romanic. [2].

HORA	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
IX-XII.	. . . .	. . . .	. . . .	**Volhard** et **Doebner** exerc. in labor. chem. [5].
IX-I.	. . . .	. . . .	**Ackermann** copia laborandi in instit. pathol. [6]. **Bernstein** disq. physiol. [6].	**a Fritsch** exerc. miner. geol. [5].
X-XI.	**Koestlin** I. Cor. [5]. **Idem** II. Cor. [1]. **Beyschlag** evang. Ioan. [5]. **Hering** ep. ad Rom. [5].	**Fitting** proc. civ. Rom. [1]. **Meier** ius gent. [2]. **Lastig** ius priv. germ. [5].	**Hitzig** psychiatr. [1]. **Eberth** histologia [5]. **Pott** exerc. clinic. paediatr. [6]. **Schwartze** rhinosc. et otosc. [1]. **Idem** schol. clin. otol. [2]. **Oberst** clin. chir. prop. [1].	**Conrad** oecon. polit. [4]. **Dittenberger** sem. phil. [1]. **Idem** prosem. phil. [1]. **Idem** Platonis sympos. [4]. **a Fritsch** geolog. [5]. **Elze** hist. liter. Angl. [4]. **Idem** sem. Angl. [2]. **Wangerin** calcul. integr. II. [3]. **Dorn**, elect. stat. [2]. **Freytag** pecuar. rem spec. [2]. **Cornelius** meteor. et climatol. [1].
X-XII.	. . . .	**Stammler** pand. [5].	**a Volkmann** schol. clin. chirurg. [6]. **Welcker** sit. visc. [1].	**Luedecke** exerc. mineral. [1].
XI-XII.	**Jacobi** hist. dogm. [6]. **Müller** Hist. eccl. I. [6]. **Ritschl** Hist. eccl. II. [6].	**Boretius** ius commerc. [4]. **Idem** ius camb. [1].	**Oberst** vuln. obl. [1]. **Ackermann** febr. et inflamm. [1]. **Idem** pathol. gen. [4].	**Pott** introd. in linguar. stud. [3]. **Keil** art. metric. [4]. **Idem** Horat. sat. [2]. **Kühn** oecon. gener. [4]. **Cantor** theor. funct. anal. [4]. **Idem** cap. sel. mech. anal. [4]. **Doebner** cap. sel. chem. organ. [1]. **Idem** chem. pharmac. inorganic. [4]. **Friedberg** redit. publ. [4]. **Taschenberg** zool. avium [2]. **Idem** anim. distr. geogr. [1]. **Idem** anim. parasit. [2]. **Brauns** palaeanthr. [1]. **Aue** Shakespearii King Richard the Third [2]. **Idem** semin. Anglic. [2]. **Wardenburg** Schilleri comoed. „Neffe als Onkel“ [2].
XI-XII½	. . . .	. . . .	**Welcker** anatom. vas. et nerv. [4].	. . . .
XI-I.	. . . .	**Brunnenmeister** exerc. iur. crim. [2].	. . . .	**Maercker** chem. agric. [2]. **Luedecke** exerc. miner. [1]. **Taschenberg** exerc. entomol. [1].
XII-I.	**Jacobi** theol. polem. [5]. **Idem** hist. dogm. trad., inspir., sacr. script. [1]. **Beyschlag** art. christ. primordia [1]. **Kaehler** theol. bibl. N. T. [6].	**Boretius** hist. imp. et iur. Germ. [5]. **Brunnenmeister** proc. crim. [5].	**Weber** exercit. ambulator. [2]. **a Volkmann** orthopaed. [1]. **Kuessner** patholog. et therap. [3]. **Idem** curs. percuss. [3]. **Seeligmüller** exerc. elect. [1].	**Pott** ling. Sinic. [2]. **Zacher** liter. Theod. mon. [1]. **Idem** Parzival [4]. **Gosche** Corani cap. [2]. **Idem** ling. Pers. [2]. **Idem** litter. Germ. hist. [2]. **Stumpf** exerc. philos. [1]. **Taschenberg** de insect. hymenopt. [1]. **Freytag** pecuar. rem spec. [1]. **Thorbecke** gram. ling. Hebr. [2]. **Idem** gramm. Arab. [2]. **Idem** Hariri [2]. **Ewald** discipl. saltuar. [2]. **Friedberg** repetit. oec. polit. [1]. **Wiltheiss** geom. anal. [4]. **Assmann** climatol. Eur. et As. [2]. **Idem** elem. meteorol. [2].
II-III.	. . . .	. . . .	**Pott** De vaccinat. [2]. **Idem** morb. cut. [1]. **Hessler** otoscop. et rhinoscop. [1]. **Idem** select. otolog. cap. [3].	**Keil** societ. philol. [1]. **Kraus** demonstr. system. [2].

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
II-IV.	. . . .	. . . .	**Hitzig** clin. psych. et neurop. [2].	**Zacher** semin. German. [1].
II-V.	. . . .	. . . .	. . . .	**Volhard** et **Doebner** exerc. in labor. chem. [5].
III-IV.	**Riehm** Jesaj. II. [2].	**Arndt** ius crimin. [5].	**Welcker** gener. et evol. corp. hum. [2]. **Bunge** clin. ophth. prop. [3]. **Idem** exerc. refract. [1].	**Rosenberger** trigon. sphaeric. [2]. **Idem** mot. planet. et comet. [2]. **Taschenberg** entomol. oecon. [3]. **Freytag** pecuar. rem. spec. [3]. **Pütz** exerc. histol. [1]. **Schum** latin. et german. med. aev. palaeogr. [3].
$III\frac{1}{2}$-$IV\frac{1}{2}$.	. . . .	. . . .	. . . .	**Gering** exerc. soc. theod. [1].
III-V.	. . . .	. . . .	. . . .	**Cantor** coll. math. et phil. [1]. **Freytag** doctr. de rer. rust. calc. [1]. **Wiener** exerc. geometr. [1].
III-VI.	. . . .	. . . .	. . . .	**Dorn** exercit. phys. [2]. **Freytag** excurs. oecon. et demonstr. [1]. **Wüst** geometr. pract. [1].
III-VII.	. . . .	. . . .	**Ackermann** cop. labor. in inst. path. [6].	. . . .
IV-V.	. . . .	. . . .	**Harnack** chem. physiol. [2]. **Olshausen** therap. et expl. gyn. [1].	**Erdmann** introd. hist. in log. [2]. **Droysen** histor. aev. nostri [4]. **Kirchhoff** exercit. geogr. [1]. **Stumpf** logic. et encycl. philos. [4]. **Idem** psychophys. [1]. **Eisenhart** de theor. vectigal. [1]. **Idem** hist. oecon. nation. [2]. **Vaihinger** hist. philos. univ. [5]. **Brauns** pedol. [2]. **Zopf** cryptog. cell. [2]. **Heyer** horticult. rustic. et cult. seminum [2].
IV-VI.	. . . .	**Lastig** exerc. iur. civ. Boruss. [1]. **Arndt** ius. administr. [4].	**Ackermann** exercit. pathol. - histologicas [3]. **Bernstein** exercit. physiologicas [2]. **Eberth** exerc. histolog. [2]. **Seeligmueller** demonstr. neuropath. [1].	. . . .
V-VI.	. . . .	. . . .	**Graefe** mot. ocul. [5].	**Erdmann** psychol. [5]. **Haym** elem. ethic. [3]. **Volhard** anal. volumetric. [1]. **Hertzberg** hist. Byzant. [4]. **Kirchner** demonstr. in agr. experim. [1]. **Idem** de sol. cognit. in usum agric. [3]. **Vaihinger** introd. phil. [1]. **Burdach** Walther de Vogelw. [2]. **Uphues** paedag. [2]. **Uphues** hist. phil. rel. [2]. **Idem** auct. paedag. [1]. **Erdmann** aromat. chem. [2]. **Heyer** repet. oecon [1].
V-VII.	. . . .	**Stammler** exerc. pract. [1].	**Eberth** microorgan. [1].	. . . .

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI-VII.	. . . .	. . . .	**Harnack** hygiein. [3]. **Idem** exerc. ad. urin. expl. [2]. **Seeligmueller** curs. electr. [2]. **Genzmer** chir. spec. [4]. **Idem** hern. [1]. **Schwarz** pelv. ang. [1]. **Idem** gynaecol. spec. [3].	**Kirchhoff** geogr. propagat. fidei [1]. **Idem** meth. geogr. [1]. **Grenacher** morphol. et syst. animal. [2]. a **Fritsch** Germ. centr. geogn. [1]. **Maercker** chem. agric. sel. cap. [1]. **Burdach** Goethii carm. [1].
VI-VIII.	**Riehm** soc. exeg. V. T. [1]. **Kähler** soc. exeg. N. T. [1]. **Müller** exerc. ad hist. eccles. pertin. [1].	. . . .	**Oberst** clin. chir. prop. [2]	**Knoblauch** colloq. de reb. phys. [1]. **Dümmler** semin. histor. [1]. **Haym** ethic. Spinoz. [1]. **Conrad** sem. **Droysen** sem. hist. [1]. **Heydemann** exerc. arch. [1]. **Ewald** exerc. histor. [1]. **Schum** exerc. histor. [1]. **Wenck** exerc. histor. [1]. **Collitz** inscript. Graec. [1].
VII-VIII.	. . . .	. . . .	**Leser** repet. chir. [3]. **Idem** fract. et luxat. [1].	. . . .

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORUM.	SCHOLAE IURISCONSULTORUM.	SCHOLAE MEDICORUM.	SCHOLAE PHILOSOPHORUM.
Schlottmann epigraph. sem. [1]. **Ritschl** exerc. ad hist. dogm. pert. [1].	. . . .	**Weber** schol. policlin [6]. **Eberth** exerc. histol. [6]. **Hollaender** de obtur. dent. [1]. **Schuchardt** monstr. [1]. **Idem** vuln. sanat. **Bunge** exercit. ophthal. [2].	**Knoblauch** usum instrum. comp. **Kühn** sem. scient. natur. [2]. **Kraus** demonstr. in horto [2]. **Idem** exerc. phytotom. **Idem** exerc. pharmacogn. **Idem** sem. botan. **Conrad** semin. oecon. polit. et stat. **Grenacher** embryol. **Suchier** sem. Roman. [3]. a **Fritsch** excurs. geogn. **Pischel** Kalidâsa [2]. **Wangerin** exerc. math. [1]. **Thorbecke** exerc. gramm. **Wiltheiss** exerc. analyt. [1]. **Baumert** chem. stud. [2]. **Idem** de nutrim. et necess. et iucund. disquir. [2]. **Idem** repetitor. chem. [3]. **Zopf** exerc. plantar. determ. [2]. **Wiener** exerc. in delin. [2]. **Assmann** cap. meteor.

Index domorum, in quibus habitandi copia a civibus huius urbis facta est commilitonibus, cum pretiis habitationum apud actuarium universitatis O. Nittritz in aedibus administrationi rerum destinatis inspici potest.

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXVII

A DIE XV. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AUGUSTI

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INEST

GUILELMI DITTENBERGERI
DE SACRIS RHODIORUM COMMENTATIO ALTERA.
ACCEDIT EPIMETRUM DE INSCRIPTIONE QUADAM COA.

HALIS
FORMIS GEBAUERO—SCHWETSCHKEIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

GUILELMUS DITTENBERGER

CUM SENATU

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Quam superiore anno incohaveram quaestionem, eam in animo habebam hoc prooemio sic ad finem perducere, ut componerem quaecunque ex titulis recens inventis nova erui possent de reliquorum deorum praeter Solem et Bacchum apud Rhodios cultu. Sed quum propter variorum negotiorum occupationes hoc totum argumentum accurate persequi non liceret, malui quae in promptu habebam neque scitu indigna putabam proponere quam rem in aliud tempus differre. Priusquam vero ad ipsum argumentum accedam, non inutile erit monere, quae in priore commentatione p. X sqq. de Sminthiis Lindiorum Bacchicis et de titulo Rossiano Hellenicorum p. 114 supplendo emendandoque disputavi, eodem tempore etiam a C. Schumachero inventa et Musei Rhenani XLII p. 233 sqq. publici iuris facta esse. Pauca sunt de quibus dissentiamus, neque ea magni momenti.[1]) De reliquis ita inter nos convenit, ut in hoc ipso consensu duorum hominum, quorum neuter alterius ullam notitiam habebat magnum veritatis testimonium inesse videatur.

Ceterum nihil est in priore commentatione, quod nunc emendandum aut retractandum existimem, nisi quod p. VII exposui de Bacchi ara Rhodi in foro collocata, iuxta quam tabulae decretorum publicorum erigi consuessent. Nam eum titulum, unde hoc petivi, non Rhodium, sed Coum potius esse in epimetro huius commentatiunculae eiusmodi argumentis demonstrabo, ut omnibus harum rerum peritis me persuasurum esse plane confidam. Sed iam ad rem accedam.

III. De cultu Iovis et Minervae.

1. Sacra Minervae Poliadis et Iovis Poliei. Quum inde a saeculi quinti a. Chr. n. fine tota insula unam civitatem effecerit, quae tamen rursus in tres civitates divisa esset, consentaneum est deos oppidi civitatisque tutores quadrifariam apud Rhodios cultos esse; neque inscriptionum testimoniis, quae id probent, destituimur. Ac de Lindo quidem longum est ingentem titulorum, in quibus illorum deorum sacra commemorantur, numerum nunc afferre, praesertim cum magna pars eorum infra aliis de causis laudanda sit. Camiri rem non aliter se habuisse docet inscriptio doni alicuius a magistratibus sacerdotibusque eius oppidi dedicati (Bulletin de correspondance Hellénique V (1881) p. 335 n. 14), ubi inter sacer-

[1]) Veluti animum inducere non possum, ut scripturam *ψάφ]εισμα* tribuam huius tituli aetati; nam vocabulorum *τειμάς, γείνεσθαι, πολειτᾶν* longe alia est causa, quia vocalem natura longam habent. Sed hoc leve est, reliqua vero etiam leviora, ut ea commemorare operae pretium non sit.

dotes primo loco recensetur *Ἀθανᾶς Πολιάδος Διὸς Πολιέως·* | *Ἀγησικράτης Ἀριστοκράτευς.* Accedit alterum testimonium, ubi sane Minervae unius mentio fit, decretum Camirensium dico editum a C. T. Newtono *Transactions of the Royal society of Literature* XI p. 436 (unde repetivimus J. Martha Bulletin de corr. Hell. IV (1880) p. 144 et ego Sylloges Inscr. Gr. 305) et *Greek inscriptions in the British Museum* p. 125 n. CCCLI; illic legitur v. 9 sqq. *καὶ τὰς κτοίνας ἀναγράψαι καὶ ἐγκολάψαι ἐν τᾷ στά|λᾳ καὶ στᾶσαι ἐν τῷ ἱερῷ τᾶς Ἀθανᾶς καὶ περιβολιβῶσαι*, et v. 16 sqq.: *τοῦτοι δὲ* (sc. *τοὶ μάστροι*) *συνλεγέσθων ἐν Καμίρῳ εἰς τὸ* | *ἱερὸν τᾶς Ἀθαναίας ὅκκα τοὶ ἱεροποιοὶ παραγγ[έλ|λ]οντι.*[1]) De Camirensium simul et Ialysiorum sacris exstat testimonium adhuc si quid video non ab omni parte recte intellectum. Apud P. Foucartum enim, Revue archéologique N. S. XVI (1867) p. 30 n. 71, in titulo honorario hominis nobilis Romanae aetatis, ubi eius honores enumerantur, post complura sacerdotia Lindia sequuntur haec:

ΚΑΙΑΘΑΝ . . . ΑΛΥCΙ
ΑCΠΟΛΙΑΛΟCΚΑΙΔΙΟCΠΟΛΙΕωCΚΑ
ΜΕΙΡΑΛΟCΚΑΙΛΙΟC . . . . ΚΑΙΑΤΑΛωΙ

Editor quum scriberet *καὶ Ἀθάν[ας Ἰ]αλυσί|ας Πολιάδος καὶ Διὸς Πολιέως Κα|μειράδος καὶ Διὸς . . . . καὶ Ἀτα[βυρίου]*, hunc hominem existimabat Ialysi Minervae, Camiri Iovis sacerdotem fuisse. At haec opinio non modo pugnat cum eis quae de coniuncto duorum deorum sacerdotio infra exponentur, sed refellitur adiectivi forma feminina *Καμειράδος*, quae nullo pacto ad Iovem referri potest. Quare sic potius haec distinguenda et supplenda sunt: *καὶ Ἀθαν[ᾶς Ἰ]αλυσί|ας Πολιάδος καὶ Διὸς Πολιέως, κα[ὶ Κα]|μειράδος καὶ Διὸς [Πολιέως]*, ut ad *Καμειράδος* mente addatur ex eis quae ante scripta sunt *Ἀθανᾶς Πολιάδος.*[2]) Utriusque igitur dei, non Minervae modo, etiam apud Ialysios sacerdotem fuisse hic titulus testatur. Denique universam Rhodiorum civitatem eis sacris non caruisse ex titulo Revue archéologique N. S. XIII (1866) p. 354 n. 7 apparet: *Ὁ δᾶμος ὁ Ῥοδίων Φ[ι]λοκράτην* | *Ἀγητο(ρ)ίδα*[3]) *ἱερατεύσαντα Ἀθα|νᾶς Πολιάδος καὶ Διὸς Πολιέως* | *θεοῖς.* Lapis in oppido Rhodo inventus est, neque ipsa inscriptionis verba hic de Lindiorum aut Camirensium aut Ialysiorum sacris cogitare sinunt.

In omnibus autem his sacris Minervam principem, Iovem secundum locum tenuisse multa sunt quae doceant. Ac primum quidem neque in dedicationibus neque in sacerdotii appellationibus usquam alio ordine deorum nomina se excipiunt.[4]) Deinde multae quidem exstant inscriptiones dedicatoriae quae ad utrumque deum spectent, haud paucae unius Minervae, sed rei Iovi Polieo soli dedicatae nullum est in tanto titulorum numero exemplum. Denique idem haud ambigue cernitur in eis, quae de sacerdotibus et delubris horum deorum novimus. Nam sacerdotes quidem binorum deorum ubique singulos fuisse pro certo videtur pronuntiandum. Permulti exstant tituli, in quibus *ἱερατεύσας Ἀθανᾶς Πολιάδος* (sive *Λινδίας*) *καὶ*

---

[1]) Newtonum in utraque editione barbaram formam *παραγ[έ|ν]οντι* posuisse sane mireris.

[2]) Durum hoc esse, maxime propter interposita verba *καὶ Διὸς Πολιέως*, non nego, sed excusatur ea re, quod sacerdotium Iovis Poliei non est nisi appendix quaedam sacerdotii Minervae Poliadis. Quare sic adornare hunc locum malui, quam totum versum propter *ὁμοιοτέλευτον* omissum statuere, ut legatur *καὶ Ἀθαν[ᾶς Ἰ]αλυσί|ας Πολιάδος καὶ Διὸς Πολιέως κα[ὶ] . . . . καὶ Ἀθανᾶς Πολιάδος Κα]|μειράδος καὶ Διὸς [Πολιέως].*

[3]) Sic traditum *ΑΓΗΤΟΤΙΔΑ* emendavit editor. *Ἀγητορίδας Τριύλλου* praetor Rhodiorum est apud L. Rossium Inscr. inedd. fasc. III p. 25 n. 275.

[4]) Quae hic proferuntur argumenta, praecipue ex titulis Lindiis petita sunt, quorum permagna exstat copia. De reliquis duabus urbibus et de universa civitate Rhodiorum pauca praesto sunt testimonia, sed ea indicant, summam similitudinem inter omnia haec sacra intercessisse.

Διὸς Πολιέως legatur (Lindi: Ross Arch. Aufs. II p. 592 n. 3. 593 n. 4. 594 n. 5. 595 n. 6. 596 n. 7. 597 n. 8. 604 n. 15. 16. Revue arch. N. S. XVI (1867) p. 21 n. 63. p. 24 n. 66. Archäologische und epigraphische Mittheilungen aus Oesterreich VII (1883) p. 130 n. 57. Bulletin de corresp. Hell. IX (1885) p. 102 n. 5. De Camiro et Ialyso ac de ipsa urbe Rhodo cf. titulos supra allatos). Ac si quis haec, quia saepe etiam aliorum deorum nomina adduntur, non de uno sacerdotio, sed de duobus diverso tempore gestis intellegat, refutetur titulo Camirensi supra allato (Bull. de corr. Hell. V p. 335 n. 14), in quo non gesti honores tempore praeterito (*ἱερατεύσας*) significantur, sed eiusdem anni omnes sacerdotes una recensentur. Sane nonnunquam sacerdos Minervae commemoratur non addito Iovis nomine (Revue archéol. N. S. XV (1867) p. 218 n. 61. XVI (1867) p. 22 n. 64.[1]) *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 132 n. CCCLVII v. 49. Bulletin de corr. Hell. IX (1885) p. 108 n. 11. Arch. und epigr. Mittheilungen VII (1883) p. 126 n. 55 = Anthol. Pal. XV, 11, cf. Hermae XIX p. 243. ibid. p. 129 n. 56). Sed hic sacerdotis munus minus accurate a potiore officii parte designatum esse cum aliis de causis veri simile ac paene certum est, tum quia nusquam vice versa *ἱερεὺς Διὸς Πολιέως* omisso Minervae nomine legitur.

Annua fuisse haec sacerdotia iam ex eis titulis non sine veri specie colligitur, ubi homines superstites qui eis antea functi erant (*ἱερατεύσαντες*) commemorantur, namque pleraque certe apud Graecos sacerdotia aut perpetua aut annua fuisse satis constat. Sed accedit definitum tituli testimonium, quo editores sane in contrariam partem usi sunt. M. Holleaux et Ch. Diehl Bulletin de corr. Hell. IX (1885) p. 108 n. 11 ediderunt inscriptionem Lindiam, manifesto imperatorum Romanorum demum aetate incisam, quae laudes sacerdotis cuiusdam Minervae Lindiae continet. In ea v. 4—8 haec leguntur: *παρασχόντα τὰν τᾶς ἀγο|[ρᾶς] εὐεργίαν πᾶσιν δαψιλῶς ἐπ' ὠφελίᾳ|[τῶ]ν ὠνουμένων καὶ τὰν τῶν λουτρῶν| [ἐπ]αινουμέναν χρῆσιν τοὺς τᾶς ἱερωσύ|νας αὐτοῦ μῆνας δεκατρεῖς*. Hic nescio quid reconditi latere suspicati sunt editores; nam annus intercalaris si intellegeretur, id tituli auctorem aliter enuntiaturum fuisse. Ac sane in simplici definitione temporis, per quod aliquis magistratu aut sacerdotio functus est, hoc dicendi genus mirum atque insolitum esse concedo. Sed non est neglegendum, hic non dici de tempore sacerdotii per se, sed de tempore per quod ille homo in cives maxima beneficia suis impensis contulerit. Id sane fuit sacerdotii tempus, sed laudatorum intererat neminem qui titulum legeret ignorare, illum non duodecim sed tredecim menses talem munificentiam praestitisse, quia sacerdotium eius in annum intercalarem incidisset. Vani ingenii et pusilli animi hoc sane est; sed propterea improbabile esse nemo facile, qui vel paucos aetatis illius titulos laudatorios cognitos habeat, existimabit.

Consentaneum est, cum ad universae Rhodiorum civitatis sacerdotium omnes Rhodii admitterentur, Lindium, Ialysium, Camirense solis cuiusque oppidi civibus reservatum fuisse; etenim omnia sacra eorum inter se ita distincta ac separata fuisse, ut civitatium quae sui iuris essent, multis indiciis demonstratur. Neque hanc sententiam everti puto titulo Revue arch. N. S. XVI (1867) p. 30 n. 71, de quo supra verba feci. Etenim illic sane idem homo Lindi, Ialysi, Camiri sacerdos Minervae Poliadis et Iovis Poliei fuisse dicitur. Sed haec inscriptio altero post Chr. n. saeculo non antiquior est, ita ut nihil ex ea iure colligatur, nisi tum temporis antiquam formam reipublicae Rhodiae iam sublatam, tres civitates in unam conflatas sacraque earum in universum populum translata fuisse.[2])

[1]) Hic num re vera defuerit additamentum *καὶ Διὸς Πολιέως*, propter mutilam lapidis condicionem non videtur pro certo diiudicari posse.

[2]) Similiter iudicandum esse videtur de sacerdotio Iovis Geleontis, quod Athenis Traiani aetate

Perpauca scimus de templis horum deorum. Decreta publica et Lindi (*Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 132 n. CCCLVII v. 45. 49) et Camiri (*Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 125 n. CCCLI v. 10) et in ipsa urbe Rhodo (Mnemosyn. I p. 79 sqq. = Cauer Del. 181 v. 97) tabulis inscripta proponi solebant in fano Minervae Poliadis. Ialysi aliter fuisse cave conieceris ex titulo apud Newtonum *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 122 n. CCCXLIX (Syll. Inscr. Gr. 357.[1]) Nam est hoc sane decretum Ialysiorum, sed eius argumentum totum in eo versatur, ut tribus pilis inscribatur lex templi Alectronae, qua vetantur animalia quaedam intrare aut res quaedam inferri in sacrum locum. Hanc legem ad introitum ipsius fani, ad quod spectabat, erigi debuisse sponte patet. Reliqua vero Ialysiorum decreta quin in delubro Minervae inscripta sint, in summa, quae inter trium oppidorum sacra intercedit, similitudine non est cur dubitemus. Memorabile vero est, nunquam in templi mentione addi Iovis nomen. Inde id certe colligitur non unum idemque templum utriusque dei fuisse; utrum Iuppiter suum templum, separatum ab illo, habuerit, quod sane nunquam commemoratur, an omnino templo caruerit, vix pro certo diiudicari licet. Sed si reputaveris, Athenis quoque in arce nullum fuisse Iovis Polici templum, sed statuam modo sub divo collocatam cum ara (Paus. I, 24, 4), fortasse verisimilius iudicabis, totam aream sacram unius Minervae fuisse cum templo, sed intra hunc locum deae consecratum Iovem aram habuisse. Rossius sane (Inselreisen IV p. 72) ex duobus templis quae exstant in arce Lindiorum alterum Minervae Lindiae, alterum Iovi Polico tribuit. Sed haec sententia mihi non videtur satis certis fundamentis inniti, quia nequaquam constat, ex omnibus deis quibus a Lindiis sacra facta esse scimus, hos duos solos fuisse, qui in arce templa haberent.

De origine horum sacrorum in universum quidem nulla potest esse controversia. Nam ut templum sacerdotiumque Minervae Poliadis et Iovis Polici, quod erat Rhodi, Ol. 93, 2. 407 a. Chr., quum urbs conderetur, institutum esse manifestum est ad exemplum antiquiorum trium oppidorum, sic horum ipsorum sacra a Doriensibus qui ex Peloponneso in insulam transierant una cum ipsis oppidis condita esse debent. Neque enim hi dei ex eorum numero sunt, quorum cultus quasi sua sponte natus sit ex opinionibus incolarum de loci alicuius praecipua sanctitate deque numine aliquo divino cuius vis atque natura in illo loco vel maxime hominibus appareat. Immo illa sacra quasi partem quandam institutorum publicorum efficiunt. Sed etsi hac re demonstrari videtur, Minervae Poliadis Iovisque Polici sacra non antiquiora esse oppidis ipsis, tamen id non sine exceptione verum est. Namque multa sunt, quibus demonstretur, Minervae Lindiae cultum longe diversam a reliquis eiusdem generis originem habere. Qua in re primum memorabile est, eam nusquam in titulis *Πολιάδα*, sed ubique *Λινδίαν* vocari, etiam ubi coniungitur cum Iove, qui vice versa semper *Πολιεύς*, nunquam *Λίνδιος* dicitur. Rhodi, Ialysi, Camiri uterque deus semper eodem cognomine utitur. Iam cum omnino insolitum sit, deam cognomine ab oppido repetito etiam ab ipsis oppidi incolis designari, facile origo huius moris perspicitur, dummodo statuamus haec sacra arce, oppido, civitate Lindiorum vetustiora esse. Namque si iam ante adventum Doriensium nomen Lindi, quod Graecum non esse apparet, montem significabat in quo postea arx oppidi cognominis Dorici exstructa est,

etiamtum fuisse constat (C. I. A. III 2). Neque enim ullam video causam, cur hoc non ad antiquam Geleontum tribum referatur. Sed ipsam tribum plus quam sescentis post Clisthenem annis sacrorum causa etiam servatam esse vix quisquam arbitrabitur.

[1]) v. 13 sqq.: *[θ]έμειν δὲ| τὰς στάλας μίαμ μὲν ἐπὶ τᾶς ἐσό|δου τᾶς ἐκ πόλιος ποτιπορευομέ|νοις, μίαν δὲ ὑπὲρ τὸ ἱστιατόριον, | ἄλλαν δὲ ἐπὶ τᾶς καταβάσιος τᾶ[ς]| ἐξ Ἀχαΐας π[ό]λιο[ς].*

deam iam illa aetate ibi cultam a vicinis *Ἀθηνᾶν Λινδίαν* vocatam statuemus eadem ratione qua Iuppiter Atabyrius a monte Atabyro nomen accepit. Eodem spectat memorabile quoddam discrimen inter dona soli Minervae oblata et ea quae utrique deo coniunctim consecrata sunt. His enim omnibus ad unum necessitudo quaedam intercedit cum institutis publicis civitatis Lindiorum. Ac pleraque quidem ab eis dedicata sunt, qui sacerdotia publica gesserant (Bulletin de correspondance Hellénique IX (1885) p. 96 n. 2. p. 101 n. 4. p. 102 n. 6. p. 103 n. 8. Revue archéol. N. S. XV (1867) p. 218 n. 61). Praeterea ipsa civitas Lindiorum illis deis donum offert pro salute imperatoris cuiusdam (Ross Arch. Aufs. II p. 617 n. 28, ubi primus versus sine dubio sic restituendus est: *[Λίνδιο]ι ὑπὲρ* | *[Κ]αίσαρος*), eisque dedicat imaginem Rhodi (Ross Arch. Aufs. II p. 609 n. 19: *Ἀθανᾷ Λινδίᾳ καὶ Διὶ Πολιεῖ* | *Λίνδιοι τὴν λαμπροτάτην* | *πατρίδα τὴν καλὴν Ῥόδον*). Contra quae Minervae soli dedicantur, omnia privatae pietatis gratique animi hominum partim peregrinorum documenta sunt: Ross Arch. Aufs. II p. 603 n. 13 *Ἀριστόδαμος Νικία* | *Ἀθανᾷ Λινδίᾳ* | *ἀπαρχάν*. Bulletin de corr. Hell. IX (1885) p. 103 n. 7 *Βουλαρίστα Κρατίδα,* | *γυνὰ δὲ Μνασία,* |*[Ἀ]θανᾷ Λινδίᾳ ἀπαρχάν*. ibid. p. 105 n. 9 *Κῦρος Ἐφέσ[ιος,]*| *Νίκων Μιλ[ήσιος,]*| *Ἕρμων Σο[λεὺς]*| *Ἀθανᾷ Λι[νδίᾳ]*| *ἀπαρχάν*. Ross arch. Aufs. II p. 601 n. 10 . . . . . *ρατος Κλευσθένευς* |*[καὶ παῖ]δες Ἀθανᾷ Λινδίᾳ*| *δεκάταν*. Atque hanc deam praeter sacra publica quae cum Iove Polieo coniuncta habebat, etiam privatim Rhodi cultam esse documento est sodalitas *Ἀθαναϊστᾶν Λινδιαστᾶν* quae inter multas eiusdem generis commemoratur in titulo apud Rossium Inscr. inedd. fasc. III p. 34 n. 282. Denique non neglegendus hic est plane singularis sacrificandi mos in cultu Minervae Lindiae usitatus, *ἄπυρα ἱερὰ* dico. Nam etsi pro certo pronuntiari nequit, quod fuerunt qui existimarent, hoc unum inter omnes Graecos talis caerimoniae exemplum fuisse, tamen quum scriptores (cf. locos allatos a C. F. Hermanno Gottesdienstl. Alterth. §. 25, 6. 67, 8) eam rem Lindiorum propriam fuisse tradant atque ex fabulis Lindiis originem eius repetant, Ialysi et Camiri Minervae Poliadi non eodem ritu sacrificatum esse certissimum est. Ac tamen hoc permirum esset, si eodem tempore a Doriensibus advenis haec deorum arcis tutorum sacra instituta essent. Immo quum in monte Lindo, quem arci novi oppidi aedificandae aptissimum iudicabant, deam Minervae Graecae similem ab accolis summa religione atque caerimonia cultam invenirent, hanc ipsam arcis oppidique patronam elegerunt eique ex Graeco more Iovem adiunxerunt. In summa rei igitur de horum sacrorum antiquitate mihi convenit cum A. Beckero de Rhodiorum primordiis p. 117, sed nescio an mihi contigerit ut eius opinionem paullo firmioribus argumentis, quam quibus ipse usus est, stabilirem.

2. Reliqua Iovis sacra. Praeter haec, quae supra tractavimus, Minervae quidem nulla in titulis Rhodiorum occurrunt sacra; at Iovem compluribus nominibus ibi cultum esse cognoscimus. Ac principem quidem dignitatis locum tenebant sacra Iovis Atabyrii. De quibus etsi in universum non habeo, quod addam antiquiorum disputationibus, tamen de titulo quodam huc spectante verba facere liceat, quem etsi cum ab ipsis editoribus tum a C. Schumachero de republica Rhodiorum p. 58 sq. non sine fructu tractatus est, tamen ne nunc quidem plane recte intellegi persuasum habeo. Incisus est marmori caeruleo, invento prope oppidum Rhodum, nunc illato in museum Britannicum. Post alios accuratissime ed. C. T. Newton *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 121 n. CCCXLVI. Quae aetatem tulerunt litterae sic se habent:

— — — — — — — — — — — — — —

ΑΣΤΑΝΤΩΝΤΑΣΠΟ
Α.ΟΣΔΟΥΛΩΝΕΥΛΙ
ΕΝΟΣΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ
ΜΟΣΙΟΣΙΕΡΑΤ..Σ
ΔΙΟΣΑΤΑΒΥΡΙΟΥ
ΤΩΝΚΥΡΙΩΝΡΟ
ΙΕΘΗΚΕΔΙΙΑ
ΤΟΥΒΟΥΣ
ΙΟΝ

Hic Schumacherus primus vidit certissimisque argumentis demonstravit, *γραμματεὺς* [*δα*]*μόσιος* nequaquam idem significare ac *γραμματεὺς τοῦ δάμου*, sed servum publicum intellegendum esse, qui scribae officio fungeretur. At de totius tituli conexu atque argumento propterea erravit, quia plane neglexit versus sexti relliquias. Illic Keilius quidem [*διὰ*] *τῶν κυρίων Ῥο*[*δίων*] scripsit, Newtonus vero quum in transscriptione [*ὑπὲρ* ?] *τῶν κυρίων Ῥο*][*δίων*] posuisset, in adnotatione hanc lectionem gravissimis dubitationibus obnoxiam dicit, ac fortasse praeferendum [*ὑπὲρ*] *τῶν κυρίων Ῥό*[*δου*], quod spectet ad imperatores Romanos, qui persaepe *κύριοι* dicantur. Ac Keilii quidem sententia iam, cum de condicione Eulimeni a Schumachero meliora didicerimus, ferri nequit. Etenim dominus per servum aliquid deo dedicare potest, non autem servus per dominos. Newtonum vero hic nodum in scirpo quaesivisse existimo. Nam quod *τῶν κυρίων Ῥοδίων* mire dictum putat de civibus Rhodiis eorum servorum dominis, qui v. 2 commemorentur, manifesto fallitur de voeum *οἱ τᾶς πόλιος δοῦλοι* vi. Non hi sunt servi omnes, quicunque in urbe sunt, sed publici populi Rhodiorum. Quodsi *τῶν κυρίων Ῥοδίων* referimus ad ipsam civitatem, nihil miri aut insoliti hic est. Servos dedicare aliquid pro salute dominorum volgare est, neque intellegitur quid discriminis hac in re intercedere possit inter publicos et privatos. Quum igitur dedicationem servi publici pro salute populi Rhodiorum habeamus, nequaquam assentiendum erit Schumacheri argumentationi, qui v. 5. 6 *ἱερατεύσ*[*ας*] legi posse negavit, quia a Keilio recte animadversum esset, servum sacerdotio ad deum totius reipublicae pertinente fungi non posse. Ea de causa *ἱερατεύσ*|[*αντα*] potius scribendum, ita ut sumatur ante v. 1 nomen hominis cuiusdam nobilis Rhodii intercidisse, cui quum sacerdotium illud gessisset, Eulimenus servus publicus statuam erexisset. At haec quidem Schumacheri opinio iam teneri nequit, quia ex versu proximo vidimus, non statuae honorariae, sed rei cuidam pro salute Rhodiorum dedicatae haec inscripta fuisse. Keilii vero observationem ut per se verissimam iudico, ita nihil difficultatis hic creare manifestum est, dummodo ne *ἱερατεύσας* ad sacerdotium publicum populi Rhodiorum referatur, sed ad sacerdotium collegii illius, cuius nomine haec dedicatio fit. Etenim servos publicos quaedam collegia sacrorum causa constituta habuisse ipse Schumacher definite concedit[1]), eiusmodi autem collegiorum suum cuiusque sacerdotem fuisse certissimis testimoniis constat. Quare titulum sic redintegrandum iudico:

[*Δόγματι τοῦ κοινοῦ*]
[*τοῦ Διοσαταβυρι-*]

---

[1]) *Διοσαταβυριασταί* commemorantur in titulo Rhodio apud Rossium Inscr. inedd. fasc. III. p. 34 n. 282. Sed hoc collegium sine dubio liberorum hominum erat; a quibus ut distingueretur collegium servorum publicorum, in titulo quem tractamus *τῶν τᾶς πόλιος δούλων* additum est.

ασιᾶν τῶν τᾶς πό-
λ[ι]ος δούλων Εὐλί-
[μ]ενος γραμματεὺς
[δα]μόσιος, ἱερατ[εύ]σ-
[ας] Διὸς Ἀταβυρίου,
[ὑπὲρ] τῶν κυρίων Ῥο-
[δίων ἀν]έθηκε Διὶ Ἀ-
[ταβυρίῳ] τοῦ βουσ-
[τάθμου τὸ τειχ]ίον.

Finem tituli editores intactum reliquerunt praeter Keilium (Philologi Suppl. vol. I (1863) p. 612), qui scripsit ἀν]έθηκε Διὶ Ἀ[ταβυρίῳ τὸ πρὸ] τοῦ βου σ[ταθὲν κιόν]ιον. Se iam Newtonus monuit, initio versus octavi spatium his supplementis nullo modo sufficere; atque haud scio an etiam aliis nominibus restitutio a me proposita praeferenda sit.

Sic igitur rem se habuisse statuo: Collegium servorum publicorum, quod privatis sacris Iovem Atabyrium colebat, ut deo gratificaretur Rhodiorumque civitati eius gratiam conciliaret, ad delubrum eius publicum exornandum de sua pecunia aliquid conferre decrevit ita, ut bovile cum templo coniunctum, ubi boves ad publica sacrificia destinati asservari solebant, maceria cingendum curaret.

Atque haec quidem de sacris Iovis Atabyrii. Praeterea ex uno titulo Camirensi novimus Διὸς Τελείου cultum, Revue archéologique N. S. XIV (1866) p. 356 n. 59: Ἀριστομνοτίδας | Ναυσίππου | δαμιουργήσας | Ἑστίᾳ καὶ | Διὶ Τελείῳ. Qua in inscriptione, ut hoc data occasione moneam, iniuria Ἀριστομνοτίδας nomen inauditum reliquisse videtur editor, cum sine dubio Ἀριστομβροτίδας scribendum sit. Lapidem Foucartus ipse non vidit, sed apographo Biliottii usus est, quem etiam alibi haud raro in exscribendo errasse constat. Quodsi statuimus lapide paullulum detrito ex litteris Β Ρ nihil nisi duas hastas directas Ι Ι superfuisse, facile intellegitur eas cum littera Ν confusas esse. Accedit quod nomina in -μβροτος exeuntia Rhodi frequentiora sunt quam usquam alibi, ab iisque haud raro patronymica derivantur; quo in genere satis frequentia sunt Ἀλεξιμβροτίδας et Δεξιμβροτίδας. Nomen quod est Ἀριστόμβροτος bis invenitur in titulo Arch.-epigr. Mitth. aus Oesterreich VII (1883) p. 122 n. 47: Εὐχαρῖνος Ἀριστομβρότου, Πασικράτης Ἀριστομβρότου, ipsum patronymicum apud Rossium Inscr. inedd. fasc. III p. 28 n. 277 Ἀριστομβροτίδας Δάμωνος Πολίτας et Mittheilungen des arch. Inst. in Athen II (1877) p. 224 n. 2: Ἀριστομβροτίδας Ἀριστο . . . . .

Haec fere sunt quae de Iovis cultu ex titulis Rhodiis comperta habeamus. Namque Iovem Panamum, quem Theodorus Bergk Beiträge zur griechischen Monatskunde p. 68 sibi indagasse visus est, etsi haec opinio assensum aliorum hominum doctorum (veluti K. F. Hermanni Gottesdienstl. Alterthümer §. 67, 16) tulit, tamen mihi quidem persuasum est nullum unquam fuisse. In illo indice sacerdotum annuorum Apollinis Erethimii, de quo iam in superiore commentatione verba feci (Ross Inscr. inedd. fasc. III p. 28 n. 277) nonnullis annis ascriptae sunt litterae ΔΙΠΑΝΑΜΙΑ. Quae quid sibi vellent quum Rossius incertus haereret, Bergkius feriarum nomen Διπανάμια agnoscere sibi visus est, derivatum illud quidem a Iovis Panami nomine ut Διπόλια Atheniensium a Poliei. Ab huius dei cultu nomen Panami mensis repetendum esse. Haec omnia sagacissime excogitata esse non nego; sed tamen sunt quae me viro doctissimo assentiri prohibeant. Ac primum quidem in fastis Graecorum nullus est mensis, quem apud plures diversissimarum regionum populos fuisse constet, quam Panamus. Qui si re vera a Iove Panamo nomen accepisset, eius sacra summa religione per totam Graeciam culta

2

esse sumendum esset. Sic autem admodum mire accideret, quod in ingenti copia titulorum ad res sacras civitatium Graecarum spectantium nullum usquam eius cognominis vestigium exstat. Neque deest aliud argumentum fortasse etiam gravius; namque mensis nomen a feriis ideo repetitur, quia cum hoc mense illae feriae necessario coniunctae sunt. Hoc autem non cadere in ferias quae maiore quam annuo intervallo interiecto redeunt, sponte patet. At illi sacerdotum catalogo ne potuerunt quidem sacra anniversaria ascribi, quia eiusmodi notarum nullus usus erat, nisi in distinguendis annis qui caerimonias quasdam haberent ab eis qui illis carerent (cf. prioris commentationis p. VI). Quare plane abiciendam iudico illam de Dipanamiorum feriis ac de Iove Panamo sententiam.

Quod si quis ex me quaerat, quomodo tandem illas litteras interpreter, etsi plane certam et ab omni reprehensione tutam sententiam proferre nequeo, tamen coniectura praesto est fortasse non aliena a probabilitate. Etenim scimus Rhodi ut in aliis civitatibus mensem intercalarem Panamum secundum fuisse. Quare *Διπαναμία* legendum idque de ea anni condicione intellegendum esse iudico, qua is mensem Panamum duplicem habeat, id est de anno intercalari. Vocabuli forma et significatio ni fallor satis defenditur nominum *διμοιρία*, *διστεγία*, *διωβελία* aliorumque similitudine. Neque vero inutile erat, catalogo sacerdotum annuorum ascribere, quinam anni communes, quinam intercalares fuissent (cf. quae supra exposita sunt p. V). Confidentius sane hanc sententiam proponerem, si ei anni, quibus illa nota adiecta est, cyclum intercalarem ex artis legibus ordinatum efficerent. Sed ut haec res, si ita esset, multum conferret ad interpretationem meam confirmandam, sic nequaquam propterea plane abicienda est haec coniectura, quia vestigia certi ordinis non iam apparent. Nam, ut mittam ordinem intercalandi saepe in civitatibus Graecis turbatum, ex apographo Rossii apparet, lapidem in margine potissimum, ubi illae notae ex parte incisae sunt, admodum detritum fuisse. Quae vero minoribus litteris inter versus scriptae sunt, eas utrum ad priorem versum an ad proxime insequentem pertinere voluerit lapicida, ex Rossii exemplari non satis apparet. Quare tum demum de hac re plane certum iudicium ferre licebit, si lapis, quem post Rossium quod sciam nemo vidit, fortuna favente rursus in lucem protractus erit.

Epimetrum.

Verissime nuper C. Schumacher Musei Rhenani XLII p. 148 monuit, sedulo cavendum esse, ne titulis lapidum iam satis antiquo tempore ex pristinis locis alio delatorum decepti res atque instituta diversarum civitatium inter se confunderemus. Quod ipsum et aliis et mihi accidit in titulo, quem primus Ludovicus Rossius Rhodi vidit, atque cum maior pars lapidis inaedificati lateret, ea quae tum legi poterant exscripsit et publici iuris fecit Inscr. inedd. fasc. III p. 20 n. 274. Deinde cum lapis evolsus anno 1873 Eduardi Alberti, principis hereditarii regni Britannici, munificentia in museum Britannicum pervenisset, integer titulus a C. T. Newtono *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 107 n. CCCXLIII inter inscriptiones Rhodias editus est. Pila est quadrata marmoris albi undique inscripta. In latere antico (*a*) exaratum est plebiscitum a Diocle Leodamantis f. rogatum, ut qui velit profiteatur, se ad defensionem urbis pecunias daturum esse. Professiones in comitiis renuntiandas populique suffragiis decernendum esse, utrum acciperentur necne; denique omnium quae probatae essent indicem, nomina et summas pecuniae continentem, lapidi incidendum esse. Qui index, ut fieri solebat, ipsi plebiscito statim subiungitur, inferiorem partem frontis (*a*) et tria reliqua lapidis latera (*b c d*) complens. Iam editorum testimonio freti G. Gilbertus (Griechische Staatsalterthümer II p. 179

n. 2. 180 n. 1) et C. Schumacher (Musei Rhenani XLI p. 238. De republica Rhodiorum, Heidelbergae 1886, p. 50) hoc decreto ad res Rhodias illustrandas usi sunt, neque magis mihi ipsi, quum inde colligerem in Rhodiorum foro aram Bacchi fuisse, de origine lapidis quicquam suspicionis subnatum est. Sed iam intellexi, rem longe aliter se habere.

Ac primum quidem tenendum est, testimonium eorum, qui Rhodi lapidem viderunt, nihil valere in eius origine definienda. Etenim iam Rossius, qui omnium primus de eo rettulit, non pristino loco invenit, neque effodit aut extraxit ex parietinis aedificii antiqui Graeci, sed inaedificatum repperit in ecclesia Christiana S. Ioannis medio aevo ab ordine equitum Hospitalium, qui illum patronum venerabantur, exstructa. Quod quoniam constat lapidem ex alio loco illuc transportatum esse, unde sciri potest, utrum is locus fuerit in ipsa insula Rhodo, an in alia aliqua vicina, ex qua fortasse commodius navibus lapides advehi poterant, quam plaustris ex interioribus ipsius Rhodi partibus? Nihil igitur restat, nisi ut in ipso tituli argumento originis vestigia indagare conemur.

Qua in re omnium maximi momenti esse puto ea quae leguntur in latere *a* inde a versu 22: *τοὶ πωληταὶ | ἐγδόντω στάλας ἐργάξασ|θαι τρεῖς, καὶ ἀναθέ[ντω μ]ί[αμ μὲν ἐν τῷ θεάτρῳ, [τὰν δ]ὲ | ἄλλαν ἐν τῷ Ἀσ[κλα]πι|είῳ, τὰν δὲ τρίταν ἐν τᾷ ἀγο[ρᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τὸν τοῦ | Διον(ύ)σου.* Templum Aesculapii in oppido Rhodo fuisse sane Diodorus XIX, 55, 4 testatur. Aliud eiusdem cultus vestigium L. Rossius in vici *Sklipio* (*Ἀσκληπεῖον*) nomine hodierno sibi invenisse videtur haud improbabiliter (Inselreisen III p. 112). Sed propterea nequaquam credibile est, hoc plebiscitum in Asclepieo publice propositum esse. Etenim cum ipsius argumentum neque ad Aesculapii neque omnino ad ulla sacra spectet, nulla ratio excogitari potest, cur in eius dei potissimum fano lapidi incisum statueretur, nisi si illud magnificentissimum aut certe unum inter magnificentissima totius oppidi delubra erat. Hoc vero in Rhodiorum civitatem non cadere, quovis pignore sponderi licet. Neque enim inter tot inscriptiones Rhodias ullum adhuc de huius dei sacris testimonium inventum est. Accedit quod supra (p. VI) vidimus, decreta publica Rhodi in Minervae Poliadis potius templo erigi solita esse.[1]) Quod si aliam urbem circumspicimus, cui illud melius conveniat, statim in proxima vicinitate occurrit nobis Coorum insula, praeter omnes fere alias Graeciae civitates huius dei cultu insignis. Illic autem re vera decretorum publicorum tabulas in Aesculapii templo statui consuevisse discimus ex titulo in oppido Co invento, quem ediderunt A. Hauvette-Besnault et M. Dubois Bulletin de corr. Hell. V (1881) p. 211 n. 6. Continet is duo plebiscita, prius Halicarnassensium, quo collaudatur Hermias Emmenidis filius Cous et legatio ad civitatem Coorum de ea re decernitur, alterum, quo Coi respondent ad mandata huius legationis. Iam in priore decreto v. 15. 18. 19 haec leguntur: *καὶ παρακαλέσει* (legatus) *αὐτοὺς* (Coos) *ἐπιμέλειαν ποιήσα[σ]θαι, — ὅπως ἂν τόπον ἀποδείξωσιν τῇ ἀναγρα[φ]ῇ τοῦ ψηφίσματος ἐν τῷ Ἀσκληπιείῳ.* Cui adhortationi morem gestum esse apparet ex alterius populisciti verbis v. 29. 32. 33: *δεδόχθαι ἀποκρίνασθαι αὐτοῖς, ὅτι ὁ δᾶ[μος] — — δίδωτι αὐτοῖς τὰν ἀναγ[όρ]ευσιν [το]ῦ στεφάνου καὶ τὰν ἀναγραφὰν καθὰ ἀξιοῦν[τι].*

Neque vero hoc unum est originis documentum, sed alterum vix minus grave accedit, ex ipso tituli initio petitum, ubi mutilata versus parte dextra haec exstant: *ΑΡΧΟΥΝΙΚΟΜΗΔΟΥΣ.* Newtonus [*Ἐπὶ ναυ*]*άρχου Νικομήδους* supplevit, eiusque in sententiam pedibus ierunt Gilbert

---

[1]) Quam incredibilis res esset, Newtonus sensisse videtur, quippe qui *Ἀσ[κλα]πιείῳ*? scripserit addito dubitationis signo. At de supplemento nullum omnino dubitationi locum relictum esse in hac trium litterarum lacuna, non est quod fusius demonstretur.

Staatsalterth. II p. 179 n. 2 et Schumacher De republica Rhodiorum p. 50, ita ut etiam argumentum viri doctissimi probarent, qui ideo hic nauarchum eponymum magistratum esse dixit, quia decretum ad expeditionem navalem spectaret. Qua in re nequeo satis mirari, quod nemo ex illis animadvertit, hanc opinionem pugnare cum Graecorum more. Neque enim populiscita pro vario argumento alia aliorum magistratuum nominibus designari solebant; nonne, ut hoc utar, populi Atheniensium decreta de Eleusiniorum sacris, quibus rex praesidebat, archontis nomen inscriptum habent aeque atque illa, quae ad magna Dionysia spectabant, quorum administratio penes ipsum archontem erat? Neque eius moris causa in obscuro est; nam magistratus nomen ideo praemittitur, ut facili negotio, adhibitis fastis, quando quodque decretum factum sit perspici possit. Cui consilio quin Rhodii nequaquam satisfacturi fuerint, si promiscue diversorum magistratuum nominibus usi essent, vix quisquam dubitabit. Quare Newtoni sententia sic modo teneri poterit, ut sumamus omnia omnino Rhodiorum plebiscita nauarchi nomen praescriptum habuisse. Atque hoc genus magistratus eponymi rarissimum esse, sed non plane inauditum monuerunt homines docti, cum ad Teniorum et Abydenorum exemplum provocarent. At obstant certa testimonia, quae Rhodi sacerdotem Solis potius eponymum fuisse ndicant. Namque in decreto Lindiorum apud Rossium Hellenicorum II p. 113 n. 47, quod superiore commentatione tractatum est, quae v. 2 leguntur *τοῦ δὲ Ἁλίου* (sc. *ἱερατεύοντος*) *Ῥοδοπείθευς*, aliter intellegi nequeunt, quia tituli argumentum non spectat ad Solis sacra Rhodia, sed ad Lindia Bacchi. Neque magis ambiguum est, quod legitur in decreto populi Rhodiorum (v. 1 *ἔδοξε τῷ δ]άμῳ ἐν τᾷ ἐκλησίᾳ ἐν τῷ Ἀρταμιτίῳ μηνί*) edito a M. Collignon Bulletin de correspondance Hellénique VII (1883) p. 97, v. 5: *[ἐπὶ ἱερέως ὅς ἂν] μετὰ Εὐκράτη ἱερατεύῃ μέχρι Θεσμοφορίου τρίτ[ης]*. Etenim ne hic quidem ulla est causa in argumento decreti posita cur sacerdos commemoretur. Quae cum ita sint, certe non casu factum esse iudicabimus, ut in ipsa Coorum urbe, quam Asclepiei mentio monstravit, satis constet magistratum eponymum fuisse, cuius appellatio hic commodissime reponi possit, m o n a r c h u m dico (cf. Observationes epigraphicas meas, Halis 1885, p. XIII). Atque ut omnis dubitatio tollatur, nummi a populo Coorum cusi testimonium affero. Nempe ad unum omnes eorum nummi, qui quidem imperatorum Romanorum aetate antiquiores sint, praeter civitatis appellationem unum hominis nomen nominativo casu, modo plene scriptum modo terminatione omissa, continent. Hos esse eponymos magistratus, i. e. monarchos, luculentissime inde apparet, quod ex perpaucis monarchorum nominibus, quae ex inscriptionibus cognita habemus, unum certe idque rarissimum in nummo redit. Cf. titulum honorarium Annuaire de l'association pour l'encouragement des études Grecques IX (1875) p. 269 n. 2 *Εἰρηναῖος Εὐαράτου Εὐάρατον Ἀχελῴο[υ]* | *ἱερατεύσαντα Ἀπόλλωνος Δαλίου καὶ Διὸς* | *[Π]ολιέως καὶ Ἀθανᾶς καὶ δυώδεκα θεῶν καὶ* | *μ ο ν α ρ χ ή σ α ν τ α*, *θεοῖς*, cum nummo apud Mionnetum Descr. de médailles III p. 406 n. 61: *ΚΩΙΩΝ. ΕΥΑΡΑΤΟΣ*. In eadem vero pagina n. 57 alium invenies nummum signatum *ΚΩΙΩΝ. ΝΙΚΟΜΗ[δης]*, quo minus dubites in tituli quem tractamus initio meeum reponere *[Ἐπὶ μον]άρχου Νικομήδους*.

Denique in ipso donationum latereulo *b*, v. 29 legitur *προστάται οἱ σὺν Χα[ρ]ίνῳ*. Hoc quoque magistratus vocabulum quum a titulis Rhodiis alienum sit, invenitur apud Coos et Calymnios. Atque horum quidem plebiscita honoraria pleraque praemissam habent formulam *ἔδοξε τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ, γνώμα προστατᾶν* (Newton *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 54 n. CCCII sqq.). Sed eadem etiam apud Coos legitur in decreto supra allato de honoribus ab Halicarnassensibus in Hermiam Coum delatis (Bulletin de corr. Hell. V p. 211 n. 6 vers. 23). Utriusque populi prostatae coniunctim commemorantur apud Newtonum *Greek Inscriptions in the British Museum* II p. 84 n. CCXCIX *a* v. 24 sqq.: *τοὶ δὲ ἀδύν[α]τοι*

τῶμ μαρτύρων παραγενέσθαι ἐπὶ τὸ δικ|αστήριον ἐγμαρτυρησάντω ἐπὶ τῶν προστατᾶν ἐν ἑκατέρᾳ | τᾷ πόλι, v. 30 sq.: τοὶ δὲ προστάται τὰς μαρτυ[ρία]ς τὰς ἐγμαρτυρηθείσα[ς] ἐπ' αὐτῶν ἐπισαμαινέσθω τᾷ δαμοσί[ᾳ σφρ]αγῖδι. Etiam in eis quae proxime insequuntur identidem commemorantur τοὶ προστάται τοὶ ἐν Κῷ et τοὶ προστάται τοὶ ἐν Καλύμνᾳ. De eorum munere atque officiis etsi plane certa dici nequeunt, tamen ex formula illa decretorum iure collegerunt homines docti, eos senatus praesides esse ex ipso senatorum numero sorte aut suffragiis electos, similes prytanum Atheniensium. Quae vero postremo loco ex inscriptione Calymnia iudiciaria attuli, ea ut infringant hanc coniecturam tantum abest, ut confirmare adeo videantur; certe sigilli publici mentionem cum ea optime convenire vix negaveris, quod Athenis penes epistatam prytanum fuisse constat. Quo minus de Rhodiorum republica cogitari licet, apud quos senatus praesides πρυτάνεις vocatos esse scimus (cf. Gilbert II p. 178).

Unum restat magistratus nomen v. 22: τοὶ πωληταὶ ἐγδόντω στάλαν. Sed eo neutram in partem quicquam probari potest, quia poletas fuisse scimus et Rhodi (Cauer Delectus ed. 2 n. 181 v. 98 sqq. οἱ δὲ πωληταὶ ἀποδόσθων sc. τὰν στάλαν) et apud Coos (Bulletin de corr. Hellénique V (1881) p. 206 n. 2 v. 12 sqq.: τοὶ δὲ π[ωλη]ταὶ μισθωσάντω ἀναγρ[άψαι τὰν] προξενίαν ἐς τὰν στ[άλαν]).

Iam quum complura invenerimus eaque manifestissima vestigia institutorum a Rhodiorum rebus alienorum, ne illud quidem videtur neglegendum, *a*, 8 sqq. scriptum esse τὸς δηλομένος τῶν τε πολιτᾶν καὶ πολιτίδων καὶ νόθων καὶ παροίκων καὶ ξένων. Nam qui hic πάροικοι audiunt, in duobus Rhodiis inscriptionibus μετοίκων nomine indicantur (Ross Inscr. inedd. fasc. III p. 32 n. 278. Hellenicorum II p. 109 n. 38). Non fugit hoc Schumacheri diligentiam (De republica Rhodiorum p. 36), neque per se inepta aut improbabilis est eius opinio, temporis magis quam loci discrimen esse. Sed nunc ni fallor aliter iudicandum erit.

Haec etsi fortasse cuipiam sufficere videantur ad veram originem tituli demonstrandam, tamen ne quicquam dubitationis haereret in animis lectorum, etiam nomina hominum qui hic recensentur cum eis accurate conferre constitui, quae Coi usitata fuisse ex aliis titulis novimus. Quem laborem nequaquam irritum fuisse iam apparebit.

I. In traditionum tabula ab hieropoeis Deliorum archonte Demare (circiter 180 a. Chr. n.) confecta, quam edidit Th. Homolle Bulletin de correspondance Hellénique VI (1882) p. 29 sqq. [1]), septem phialae argenteae recensentur diversis temporibus a civitate Coorum Apollini Delio dedicatae et per architheoros Delum transmissae: 1) φιάλη ἀργυρᾶ ἐμ πλινθείῳ, Κῴων ἀνάθημα, ἀρχιθεώρου Εὐέλθοντος v. 31. — 2) φιάλη ἀργυρᾶ ἐμ πλινθείῳ, Κῴων ἀνάθημα, ἀρχιθεώρου Μακαρέως v. 34.[2]) — 3) ἡ ἀνατεθεῖσα φιάλη ἐπ' ἄρχοντος (sc. ἐν Δήλῳ) Τηλεμνήστου, ὑπὸ τῆς πόλεως τῶν Κῴων, ἀρχιθεώρου Ἀλθαιμένου v. 37. — 4) ἄλλη, ἐπ' ἄρχοντος Τελεσαρχίδου, ἀνάθεμα Κῴων, ἀρχιθεώρου Νικαγόρα τοῦ Θεοδώρου v. 39. — 5) ἄλλην, Κῴων ἀνάθεμα, ἀρχιθεώρου Χαιρεστράτου τοῦ Ἑκατοδώρου v. 95. — 6) φιάλη ἐμ πλινθείῳ, ἀνάθεμα Κῴων, ἀρχιθεώρου Διομέδοντος τοῦ Ζμένδωνος v. 109. — 7) φιάλη ἐμ πλινθείῳ, ἐπιγραφὴν ἔχουσα· Ἁ πόλις ἁ Κῴων ἀρχιθεώρου ΗΟΜΗΡΟΣ καὶ συνθεώρων v. 162. — Hic inprimis attendendum est ad sextum nomen. Etenim in pecuniarum donatarum laterculo, de quo verba facimus, *d*, 14 legitur Ζμένδρων Διομέδοντος, *d*, 80 recurrit nudum nomen Ζμένδρων, cuius praeterea nullum usquam in litteris Graecis

---

[1]) Repetita est in Sylloge mea n. 367.

[2]) Etiam Annuaire de l'association pour l'encouragement des études Grecques en France IX (1875) p. 308 n. 10 Col. VII v. 68 occurrit Μακαρεύς hominis Coi nomen.

exemplum exstare videtur.[1]) Certe Rhodi nullum eius vestigium est. Quod autem utrobique cum eodem Diomedontis nomine in eadem parentela coniungitur, tanti momenti mihi esse videtur, ut paene hoc unum exemplum sufficere existimem ad omnem dubitationem de tabulae illius origine expellendam. Quare nemo facile dubitabit, ex quinti architheori nomine illic *d*, 6 restituere [Ἑκατ]όδωρος Χαιρεστράτου. Ex eis qui restant, tria prima nomina item leguntur in tabula illa musei Britannici: *c*, 56 Εὐέλθων Σωφίλου, *c*, 81 Ἄρατος Μακα[ρέως], *d*, 70 Ἀλθαιμένης ..... σθένευς. Homines iidem num sint, hic sane in medio relinquendum est, quia in traditionibus Deliacis patronymica desiderantur; sed sic quoque tria nomina, ex quibus nullum paullo frequentius est, hic redeuntia magnam ad persuadendum vim habent. Septimum vero nomen (*ΠΟΜΗΡΟΣ*) corruptum esse, sed nullam probabilem emendationem succurrere significavi Sylloges meae p. 525 not. 60. En desperato loco salutem affert tabula illa Rhodi inventa, in qua *b*, 58 occurrit Πόμπις Ζωπύρου. Quo ex loco sine ulla haesitatione illic rescribo ἀρχιθεώρου Πόμπιος καὶ συνθεώρων, neque quisquam me audaciae insimulaverit nisi qui ignoret quam saepe in titulis legendis *Π* cum *Η* et *Ι* cum *Ρ* confundantur. Restat unus architheorus (4) Νικαγόρας Θεοδώρου. Sane haec duo nomina coniuncta in illa tabula non sunt, sed non est neglegendum, utrumque per se admodum frequenter ibi occurrere, Νικαγόρας quater (*b*, 16. *c*, 34. 51. *d*, 18), Θεύδωρος adeo septiens (*a*, 68. *b*, 19. 42. 45. 57. *c*, 9. 45).

II. Etiam in ipsa insula Co complures tituli inventi sunt, quorum unusquisque paullo maiorem hominum numerum recenseat. Neque ullus est in horum numero, ubi non complures, qui in illo donationum laterculo sunt, aut ipsi redeant aut eorum patres filiive. Enumerabo exempla ita ut ex singulis titulis nomina quae illic quoque leguntur exscribam, addita intra uncos lateris et versus significatione: 1) Bulletin de correspondance Hellénique V (1881) p. 225 n. 14: Τοίδε ἐστεφανώθην ἀρχεύσαν|τες καὶ τὰ ἱερὰ ἐχθύσαντες κατὰ | τὰ πάτρια ταῖς Νύμφαις καὶ δεξά|μενοι τὸς φυλέτας ἀξίως τᾶν | θεᾶν. Sequuntur quinque et viginti virorum nomina, ex quibus quinque huic titulo cum illo communia sunt: Λύκαιθος Αἰνησία[2]) (Αἰνησίας Λυκαίθου *d*, 59), Ἀρισταγόρας Σίμου (*d*, 3), Ἀρισταγόρας Διοκλεῦς (*b*, 9), Ἐπίνικος Ἀρισταγόρα (*c*, 50), Παναμύας Μαιδάτα (*b*, 78). 2) Pittakis Eph. arch. 3863 ex lapide invento in vico *Antimachia* insulae Coi edidit laterculum, cuius rationem simillimam esse eius, in quo examinando nunc versamur, formula initialis docet: Τοίδε ἐπαγγείλαντο εἰς [τ]ὰν κατα|σκευὰν τοῦ Ἀφροδισίου κατὰ τὸ ψάφισμα | τὸ κυρωθὲν ὑπὸ Δαμοκρίτου τοῦ Δαμοκλεῦς. Subiuncta sunt duodequadraginta hominum nomina, addita unicuique nomini nota numerali quinque drachmas significante. In eo numero octo homines sunt, qui etiam in illa tabula recurrant: Ἐπίγηρις Ἐπιχάρμου (Ἐπίχαρμος Ἐπιγήριος *d*, 40)[3]), Μοσχίων Φιλίστου (Φίλιστος Μοσχίωνος *b*, 7), Παρμενίσκος Αἰσχλίνου (Αἰσχλῖνος Παρμενίσκου *d*, 8), Σιμίας Ἑκαταίου (Ἑκαταῖος Σ[ιμία] *b*, 75), Λεύκιππος Λυκαίθου (Λύκαιθος Λε[υ]κίππου[4]) *b*, 2), Τείσαρχος

[1]) Quod in titulo Deliaco Ζμένδων scriptum est, ad incuriam magistratus aut ministri referendum videtur, qui innumerabilium vasorum, ex parte sine dubio male habitorum, titulos exscribebat ut traditionum tabulis insererentur. Quo in molestissimo negotio fieri non poterat, quin hic illic erraretur, neque usquam proclivior error erat quam in nomine Graecis omnibus praeter Coos ignoto atque inaudito.

[2]) Litteris diductis ea nomina imprimenda curavi, quae propter raritatem maxime idonea ad probandam sententiam meam videbantur.

[3]) Ἐπίγηρις etiam *d*, 29 scriptum est.

[4]) In fine versus *ΛΕ* exhibet editor Anglus, initio eius qui insequitur *ΚΙΠΠΟΣ*. At Λέκιππος, ut ille scripsit, nomen Graecum certe non est. De restituendo vero nomine eo minus dubitari licet, quia etiam in duobus aliis titulis Cois horum hominum mentio fit: In decreto sodalitatis quae Iovis Pluvii sacris studebat (Annu-

Γεράστιος[1]) (*d*, 67), *Ἁγίας Δορκύλου* (*c*, 65), *Ἀριστόβουλος Ἀρίστου* (*d*, 49). Memorabile est, cum patrum filiorumque nomina in titulo Bull. V p. 225 n. 14 omnia eodem ordine redeant praeter unum (*Λύκαιθος Λινησία*), hic ex octo nominum paribus quinque, quae in tabulae priore parte sunt, inversum, tria modo sub finem catalogi scripta eundem ordinem habere. Quae res indicio esse videtur, illum titulum aetate supparem esse tabulae Rhodi inventae, hunc vero aliquot lustris antiquiorem, quippe qui in priore parte, ubi cives aetate provectiores et maiore auctoritate florentes recenseri consentaneum est, patres eorum qui illic perscribuntur contineat.

3) Ex septem hominibus, sacerdote Apollinis et sex hieropoeis, qui enumerantur in titulo dedicatorio Coo Annuaire de l'ass. IX (1875) p. 288 n. 9, duorum hieropoeorum, Hieronis Stratippi f. et Phaenippi Onasiclis f., nomina redeunt in inscriptione musei Britannici (*c*, 43 *Ἱέρων Στρατίππου*. *d*, 23 *Ὀνασικλῆς Φαινίππου*).

4) In plebiscito Bull. de corr. Hell. V (1881) p. 211 n. 6 (vide supra p. XI), legitur *στεφάνῳ, ᾧ τετιμάκαντι* (Halicarnassenses) *Ἑρμίαν Ἐμμε[νίδα]*. Iam vix dubitabis mecum in tabula donationum *b*, 57 *Ἑρμίας Ἐμ[μενίδα]* rescribere.

III. Non usus sum adhuc nisi patrum filiorumque nominibus quae eadem coniuncta utrobique leguntur aut eodem ordine aut inverso, ita ut eosdem aut certe eiusdem familiae homines designari appareat. Nam si singula nomina separatim examinare voluissem, simpliciter dicere potui inter omnia quae hi tituli habeant paene nullum esse, quod non redeat in illo laterculo, cuius de origine nunc quaeritur. Sed haec argumentandi ratio lubrica esset, quia haud pauca ex eis tam volgaria sunt, ut eorum exempla facili negotio ubivis per totam Graeciam repperias. Tamen nonnulla non videntur silentio praetereunda. Primum enim totum genus aliquod nominum frequentia in tabulis illis insigne est, ea dico, quae ab Hecates deae nomine derivantur. Habemus enim praeter unum nomen in fine mutilum (*Ἑκα . . . . d*, 16) Hecataeos quinque, Hecatodoros septem: *Ἑκαταῖος Ζωΐλου a*, 43. 44. *Ἑκαταῖος Θευδότου d*, 43. *Ἑκαταῖος Σ[ιμία] b*, 75. *Ἑκαταῖος Ἑκαταίου τοῦ Ἑκατοδώρου c*, 32. *Ἑκατόδωρος Ἑκατοδώρου b*, 52. *Ἑκατόδωρος d*, 79. *Ἑκατόδωρος Νικομήδευς a*, 41. *Κρατίδης Ἑκατοδ[ώ]ρ]ου d*, 43. *Πλάτων Ἑκατοδώρου c*, 40.[2]) Atqui eiusmodi nomina apud Coos usitatissima fuisse magno testimoniorum epigraphicorum numero confirmatur. Cf. Ross Hellenicorum II p. 95 n. 18: *ἱερεὺς Ἑκαταῖος Ἑκατοδώρου, ἱεροποιὸς Ἑκατόδωρος Ἑκαταίου*. Ross Inscr. inedd. fasc. II p. 63 n. 178 l: *Ἑκατόδωρος Περιγένου*. ibid. n. 178 k: *Φίλιστος Ἑκατωνύμου*. ibid. n. 178 d: *Ἑκαταίας* (lege *-αῖος*) *Ἑκατοδώρου*. Eph. arch. 3863 v. 20: *Σιμίας Ἑκαταίου*. Arch. und epigr. Mitth. aus Oesterreich VII (1883) p. 124: *Ἑκαταῖος κατ' ὄνειρον*. Annuaire de l'association pour l'encouragement des études Grecques en France IX (1875) n. 10 p. 295 col. I v. 49: *Ἀπολ[λόδ]ωρος Ἑκατωνύ[μου]*. p. 297 col. II v. 59: *Δαμόστ[ρατος Ἑκ]ατοδώρου*. p. 299

---

aire de l'association pour l'encouragement des études Grecques en France IX (1875) p. 281 n. 7) collaudatur *Λύκαιθος Λευκίππου ἐπιμήνιος*, et in tabula genealogica ibidem p. 308 n. 10 col. VIII v. 16 haec leguntur: *Λεύκιππος Λυκαίθου, μα[τρὸς] δὲ Φιλιάδος τᾶς [Ἀ]λ[κι]δάμου*.

[1]) *ΤΕΡΑΣΤΙΟΣ* Pittakis, cuius apographum haud paucos manifestos errores habet. Etenim *Γέραστις* etiam in illa tabula genealogica est, quam superiore nota commemoravi (p. 308 col. VII v. 63 [*Φα*]*ινύλος Γεράστιος*), atque ibidem plus semel invenitur compositum nomen *Γεραστιφάνης* (p. 295 col. I v. 63. 64. 66. 69. p. 299 col. IV v. 28). Denique apud Rossium Hellenicorum I, 2 p. 95 n. 18 inter sex hieropoeos tertio loco est [*Γ*]*έραστις Ἀγησινίκου*; sed hoc exemplum, quia prima littera deleta est, in censum non venit in genuina nominis scriptura constituenda.

[2]) Non connumeravi *d*, 6 [*Ἑκατ*]*όδωρος Χαιρεστράτου*, quia illic nomen coniectura demum ex tabulis traditionum Deliacarum restitui.

col. IV v. 46: *ματρος δὲ* | *Δημοῦς τᾶς Ἑκατοδώρου.* p. 302 col. V v. 41: *ματρὸς δὲ Ἑκαταίας τᾶς Ἑκατοδώρου.* p. 308 col. VIII v. 8: *Ἑκατόδωρος Τιμώνακτος, ματρὸς δὲ Σίμ[ου] τᾶς Ἑκατοδώρου.* (cf. v. 32.) p. 321 n. 11 v. 1 *μόναρχος Ἑκατό[δωρος].* v. 7 *Ἑκατόδωρος Κλευγόρου·* De Hecates in insula Co sacris testantur duo tituli dedicatorii (*Ἑκάτᾳ Στρατίᾳ* Annuaire pour l'encouragement des ét. Gr. IX (1875) p. 288 n. 9. Ross Hellenicorum I p. 95 n. 18). Eiusmodi igitur nominum copia ut cum Coa lapidis illius origine optime convenit, ita nullo modo conciliari potest cum eorum sententia, qui inscriptionem ad Rhodiorum res publicas referunt. Etenim etsi multo plures exstant Rhodiae inscriptiones quam Coae, eaeque ingentem nominum propriorum numerum continent, tamen cum omnes perlustrarem, ne unum quidem nomen quod ab Hecates deae appellatione derivatum esset, repperire potui.[1])

Denique nonnulla nomina rariora hic componere liceat, quae illi donationum laterculo cum aliis titulis Cois communia sunt: *Ἀχελῷος b*, 65 — Annuaire de l'assoc. IX (1875) p. 269 n. 2. *Δάρδανος a*, 40. 58 — Annuaire IX (1875) p. 309 col. VIII v. 20. *Διδύμαρχος d*, 54 — Ann. p. 297 col. II v. 58. p. 306 col. VII v. 4. *Θαυμῖνος b*, 4 — Ann. p. 299 col. IV v. 36. Hic sane editor exhibet *ματρὸς δὲ Ζωπυρίδος τᾶς Θαυ[γ]ίνου.* Sed perperam suppletum esse praeter illud alterum testimonium mira nominis forma indicio est, quum *Θαυμῖνος* recte derivetur a *θαῦμα* vocabulo. In nominibus *Κλεῖνος* (*c*, 2. 33. *d*, 78) et *Κληναγόρας* (*c*, 30) vel singularis inconstantia in vocali prima exprimenda redit in duobus titulis Cois. Nam *Κλεῖνος* est Ann. p. 302 Col. V v. 43, *Κληναγόρας* p. 301 Col. V v. 27. 30, et in titulo Bulletin de correspondance Hellénique VII (1883) p. 481 n. 4 legitur *Κλεῖνος Κληναγόρα.* *Λαμπίας b*, 47. *c*, 36. 71. *d*, 55 — Ann. p. 300 Col. IV v. 60. p. 302 col. V v. 56. *Τήμενος c*, 45 — Ann. p. 301 Col. V v. 16. p. 307 col. VII v. 49. *Φαινύλος c*, 22 — Ann. p. 296 col. II v. 14. p. 308 col. VII v. 63. 65. *Χάρμιππος b*, 50. *d*, 37 — Ann. IX (1875) p. 281 n. 7. p. 296 col. I v. 73. 76. 81. *Χαρμύλος b*, 31. *c*, 49. *d*, 37 — C. I. G. 2503. Archives des missions Ser. III T. III (1876) p. 103. Annuaire IX p. 295 col. I v. 67. p. 306 col. VII v. 1.

Sed iam satis disputasse mihi videor; neque enim quemquam etiam plura aut certiora argumenta desideraturum esse existimo.

---

[1]) De titulis dico; neque enim ignoro Hecatona Rhodium philosophum Stoicum. Sed is num re vera origine Rhodius fuerit ignoratur.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, D., Decanus.

I. Publice *historiam sacrorum saeculo XVI. instauratorum* enarrabit binis horis d. Sat. h. XI—I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem alteram* enarrabit quinis per hebd. dieb. h. XI—XII.

2) theologiam symbolicam (polemicam) docebit quinquies per hebd. h. XII—I.

III. Privatissime et gratis in seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, D.

I. Publice *alteram Iesaiani libri partem* (c. XL—LXVI) interpretabitur bis p. h. d. Lun. et Mart. h. mat. VII—VIII.

II. Privatim *1) historiam populi Israelitici* enarrabit bis p. hebd. d. Iov. et Ven. h. mat. VII—VIII.

2) psalmos interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX—X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas V. Test.* moderabitur. Praeterea iterum eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen semeticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas proponet.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *1) primam Ioannis epistolam* interpretabitur d. Sat. h. X—XI.

2) potissima quae ad ethicen pertinent Novi Testamenti dicta exponet d. Sat. h. VIII—X.

II. Privatim *1) Ioannis evangelium* interpretabitur quinquies p. h. h. X—XI.

2) dogmatices partem priorem quae christianam apologeticen et religionis philosophiam continent quinquies p. hebd. h. VIII—IX tradet.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D.

I. Publice *epistolam Pauli ad Corinthios alteram* interpretabitur d. Merc. h. X—XI.

II. Privatim *1) priorem Pauli ad Corinthios epistolam* interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. X—XI.

2) Theologiam biblicam novi Testamenti tradet quinquies p. hebd. h. XII—I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas N. Test. et homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, D.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III—IV.

II. Privatim *1) archaeologiam Hebraicam* tradet quater p. hebd. h. III—IV.

2) librum Iobi explicabit quinqies p. hebd. h. IV—V.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget d. Iov. h. VI vesp.

HERMANNUS HERING, D.

I. Publice *hymnorum ecclesiae historiam* enarrabit d. Sat. h. VII—VIII.

II. Privatim *1) Theologiae practicae partem priorem* tradet quinquies p. hebd. h. VII—VIII.

2) historiam artis educandi scholarumque minorum quae dicuntur ordinum docebit dieb. Iov. et Ven. h. IX—X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes* et *catecheticas* et *homileticas* et *proseminarium homileticum* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice *historiam ethices universae* adumbrabit die Merc. h. IX—X et die Sat. h. X—XI.

II. Privatim *1) theologiam ethicam* libellum suum secutus docebit quinquies p. hebd. h. VIII—IX.

2) epistolam *ad Ebraeos* scriptam interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. IX—X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis exegeticae Novi Testamenti* moderabitur d. Ven. h. VI.

b. Professorum extraordinariorum.

GUSTAVUS KRAMER, D.

Scholas non habebit.

EDUARDUS GRAFE, Lic.

I. Publice *exercitationes ad Novum Testamentum pertinentes* instituet d. Merc. h. VI.

II. Privatim *1) introductionem in libros Novi Testamenti* docebit quinquies p. hebd. h. XII—I.

2) epistolam a Paulo apostolo ad Romanos datam interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. X—XI.

c. Licentiatorum privatim docentium.

OTTO RITSCHL, Lic.

Gratis *Friderici Schleiermacheri theologiam* binis per hebdomadem scholis postea definiendis adumbrabit.

IOANNES GLOËL, Lic.

Privatim *evangelia Matthaei Marci Lucae* synoptice interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.

ALBERTUS EICHHORN, Lic.

Privatim *historiam dogmatum* enarrabit quinis p. hebd. scholis h. XI—XII.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

